

DVBIVM XXXVII.

Que informatio erit sufficiens, ut iudices procedant contra ludentes ludo prohibito.

Sic conclusio, iudices priusquam incipiant facere processum contra ludentes ludo prohibito, debent accipere summariam informationem facti, id est, quod illi essent ludentes ludo prohibito, præterquam si ipse iudex inue-

nit eos ludentes, tunc enim non erit necessaria alia summaria informatio; quia loco illius fat erit eos inuenisse ludentes ludo prohibito: non possunt autem iudices, nec eorum ministri capere nummos ludentium ludo prohibito; possunt tamen cogere illos, ut deponant apud aliquem eam summam pecuniæ, quæ statuta est à legibus in penam ludentium tali ludo. Sic habetur l. i. tit. 7. lib. 8. noua recopilat. & docet Alcozer lib. de ludo cap. 62. conius. 5. & 6.



LIBER



LIBER SECVNDVS

Opusculorum moralium, seu Consiliorum, circa ius, & iustitiam distributiuam.

CAPVT I.

De acceptione personarum.

SUMMARIVM.

- DVB. I. Quid sit acceptio personarum, & quale peccatum.
2. An peccet mortaliter peccato acceptionis personarum conferente: Ecclesiastica beneficia dignis, omisso dignioribus.
 3. An obligatio eligendi digniorem ita arctè intelligatur, ut sit dimouendus dignior ab alia Ecclesiæ minus pingui, cui præstet, ut ad pinguiorem promoueatur.
 4. An teneatur eligere digniorem, etsi videat suo suffragio nihil profuturum, immo obfuturum.
 5. An teneatur patronus etiam presentare digniorem ad beneficium.
 6. An Episcopi confirmantes electionem, & presentationem digni omisso digniori, peccent mortaliter.
 7. An renunciatus, permutatus, vel regressus beneficium in minus dignum, omisso digniori, & Prælati acceptans peccent.
 8. An et si que adeo procedat hac obligatio eligendi digniorem, ut teneatur elector conferre digniori, qui exterius est, vel sui sit preferre dignum naturalem Regni digniori extraneo? & sic licita sint statuta, ut beneficia alicuius Regni non conferantur, nisi Regnicolis.
 9. Quis dicatur naturalis regni Hispaniæ, ut in eo possit beneficia, vel pensionem obtinere.
 10. An ex proprijs bonis fundatus beneficium, possit eam legem statuere, ut ad illud electio fiat ex certo genere personarum, vel ex instituentis familia, seu consanguinitate, &c. Item ut ad illud non teneatur patronus presentare digniorem, sed satisfaciatur presentando dignum.
 11. An quando fundator beneficii nullam apposuit conditionem, & presentantur duo ad illud ab aequali numero patronorum, sit preferendus ille, qui est de sanguine fundatoris, vel optio detur Episcopo.
 12. Quam diligentiam teneatur adhibere elector, & patronus ad inquirendum digniorem.
 13. An sicut peccat eligens minus dignum, omisso digniori, ita, & peccet minus dignum acceptans.
 14. An pater & filius possint simul in eadem Ecclesia beneficium obtinere.
 15. An filius illegitimus clericus possit obtinere beneficium in Ecclesia, in qua pater habuit, vel habet beneficium.
 16. An possint filij sue legitimi, siue illegitimi habere

- pensionem super fructibus beneficiorum, qua eorum parentes obtinent, vel obtinuerunt.
17. Quis possit dispensare cum filijs legitimis, vel illegitimis, ut succedant in beneficio paterno.
 18. An sicut filij non possunt succedere in beneficio patris, ita & nepotes in beneficio auorum, & sic de reliquis descendendibus? & quid de collateralibus.
 19. An sicut in parentum beneficijs nequeunt succedere filij, ita neque parentes in beneficijs filiorum.
 20. An qui possidet beneficium triennio pacificè colorato titulo, non tamen vero, & legitimo, sit tutus in vtroque foro, ita ut post non teneatur resignare.
 21. An regula de trienniali locum habeat in foro conscientie, ita ut qui pacificè possidet beneficium triennio absque vero, & legitimo titulo, sed tantum colorato, possit transacto triennio illud tuta conscientia retinere, an tamen debeat actio in foro externo aduersario ad reperendam illud.
 22. An procedat hac regula de trienniali contra minoreni quatuordecim annis.
 23. An non tantum possessor beneficii triennialis gaudeat beneficio huius regule, ut molestari non possit, sed etiam is, cum quo talis possessor permutauit, & is qui de nouo habet beneficium possessum triennio per permuuantem.
 24. Quæ conditiones exigantur, ut triennialis possessor iustus sit virtute regule de trienniali.
 25. Circa primam conditionem, an in possessore trienniali requiratur bona fides, ut possit se tueri hac regule.
 26. Circa secundam conditionem, Quæ est possessio, quomodo intelligatur.
 27. Circa tertiam conditionem, scilicet, ut possessio illa per triennium sit pacifica, quid intelligatur per pacificam.
 28. Circa quartam conditionem, scilicet, ut possessio illa pacifica sit per triennium, qualiter hoc triennium intelligatur.
 29. Circa quintam conditionem, scilicet, ut possessio illa sit beneficii Ecclesiastici, quid per hoc intelligatur.
 30. Circa sextam conditionem, scilicet, ut adsit titulus, qualiter hoc requiratur.
 31. Circa septimam conditionem, scilicet, ut titulus sit coloratus, quid hic sit, & qui censentur illam habere.
 32. Circa octauam conditionem, scilicet, ut possessor triennialis non sit simoniacus, id est, non obtinuerit illud beneficium per simoniam, quomodo intelligatur.
 33. Circa nonam conditionem, scilicet, ut possessor triennialis non sit violentus, quid per hoc intelligatur.

34. Circa ultimam conditionem, scilicet, ut talis possessor non sit inersus in beneficio, quid intelligatur hic per intrusum.

DUBIUM I.

Quid sit acceptio personarum, & qualis peccatum.

PRIMA conclusio. Acceptio personarum sic definitur. Est iniustitia crimen, quo in distributione aliquorum bonorum non causa ad rem pertinentis, sed persone aliarumque qualitarum ad rem non pertinentium ratio habetur.

Dicitur iniustitia crimen, quia acceptio personarum opponitur iustitiae distributivae. Ad cuius intelligentiam oportet notare aliqua.

Primo nota ex D. Thom. 2. 2. quae. 63. art. 1. & 2. quod est distributio inter iustitiam commutativam, & distributivam, quod distributiva est totius ad partes, ut cum bonum commune debitum distribuitur inter partes communitatis, ut sunt partes communitatis, & secundum proportionem boni communis ad dignitatem personarum, unde licet constituat aequalitatem, hoc enim est proprium iustitiae, ob idque iustitia dicitur, at non constituit aequalitatem simpliciter, & secundum proportionem arithmetica, sed secundum proportionem geometricam, quia in illa non attenditur per se, & principaliter aequalitas rei ad rem, sed per se, & principaliter habetur respectus ad personas, inter quas est facienda distributio, & minus principaliter, ac deinde ad res distribuendas, ut scilicet inter ipsas res, quae distribuuntur, eadem proportio servetur, quae est inter personas, inter quas fit distributio. At vero iustitia commutativa est partis ad partem, & per se respicit aequalitatem rei ad rem secundum proportionem arithmetica, ut tantum des, quantum debes, nullo habito per se respectu, vel consideratione ad personas, nisi aliquando per accidens in quantum augetur, vel minuitur aliquando valor rei, aut operis ex qualitate personae; & respicit bonum partis quasi inter aequales. Unde per accidens est ad iustitiam commutativam, quod contractus fit inter republicam, & aliquem privatum, quia haec se habent tanquam inter aequales. Item licet commutativa, & distributiva in hoc conveniant, quod utraque reddit alteri quod suum est; differunt tamen in eo, quod aliter est suum, quod redditur alteri per distributivam, per hanc enim distribuuntur bona communia reipublicae, quae non sunt propriae, & simpliciter civium, inter quos distribuuntur, nec redditur propriae, & simpliciter suam, sed tantum secundum quid, in quantum scilicet bona totius sunt aliquo modo partium, & aliter est suum, quod redditur per iustitiam commutativam, est enim propriae, & simpliciter suum, unde quod per hanc redditur, est simpliciter debitum; quod vero per illam redditur, non est simpliciter debitum, sed in quantum illi sunt partes reipublicae, cuius sunt ea bona, quae distribuuntur, & sic est debitum secundum quid, ut haec omnia optime explicat Aragon 2. 2. quae. 62. art. 2. fol. 207. 208.

Secundo nota, quod cum iustitia distributiva consistat in hoc, quod diversis personis diversa tribuantur secundum proportionem ad merita personarum, & acceptio personarum in hoc consistat, quod non attenduntur merita, & vera causa in ea, sed aliae rationes ad rem non pertinentes, directe opponitur iustitiae distributivae.

Tertio nota, quod id, quod respectu vnius distributionis est causa debita, potest respectu alterius esse motium impertinens. Unde quicumque considerat in distributione illam qualitatem personae, propter quam id, quod confertur, est debitum, non est acceptor personarum, sed si consideret aliam rationem ad rem, quae confertur, non congruentem, licet sit conveniens respectu alterius. Sic Aragon 2. 2. quae. 63. art. 1. D. Thom. 161.

Quarto hinc inferitur, quod in his, quae non est iustitia debentur, sed ex mera liberalitate dantur, non habet locum acceptio personarum. Patet, quia acceptio personarum est contra iustitiam; ergo tantum habet locum in debitis ex iustitia. Et hinc fit, quod in Deo dum ex duobus peccatoribus aequalibus alterum efficaciter vocat; alterum vero non, nulla est personarum acceptio, ut optime D. Thom. dicto art. 1. ad 3. quia est gratuita vocatio Dei; & quod in Deo non fit acceptio personarum, est de fide, ut patet Deuter. 10. & 2. Paralip. 19. 10. Actu 10. ad Romanos 2. ad Ephes. 6.

Quinto inferitur deceptum esse Abulensem cap. 22. Matth. quae. 113. vbi dicit esse acceptorem personarum, qui dimisso extreme indigenti, confert elemosynam amico non indigenti, quia hic non peccat contra iustitiam, sed contra charitatem, & sic non est hic acceptio personarum. Sic Salon 2. 2. quae. 63. art. 1.

Sexto inferitur, quod si quis ex propriis bonis inuitaret ad cenam omnes ciues, & solum excluderet inimicum, non peccaret peccato acceptio- nis personarum, sed tantum peccato scandalii; quia hoc non est contra iustitiam: sed si donaret pretium illud communitati, ut distribuat civibus pro meritis, vel parat illis conuiuium; etiamsi referret sibi talem distributionem, tunc si excluderet inimicum, peccaret peccato acceptio- nis personarum, quia postquam donauit communitati, iam illi debetur tanquam civi. Sic docti recentiores.

Septimo nota quod dicitur in diffinitione acceptio- nis personarum, in distributione bonorum, quia in tali distributione frequenter tale crimen committitur, ut in distributione beneficiorum, & officiorum secularium: at potest & in aliis contingere, ut in honoribus exhibendis, in distribuendis oneribus, ut tributis in administranda iustitia, &c.

Secunda conclusio, acceptio personarum ex suo genere est peccatum mortale: at potest esse veniale ex paruitate materiae. Prima pars patet, quia peccatum iniustitiae est mortale ex suo genere, ut optime D. Thom. 2. 2. quae. 59. art. 4. corp. & ad 2. item quia grauius prohibetur in sacris literis, Deuter. 1. & 16. Leuit. 19. Proverb. 18. 24. 28. Eccles. 24. Iacob. 2. & patebit magis dub. sequenti. Secunda vero pars etiam constat, quia commune est omnibus praecipis virtutum moralium, ut in illorum transgressione reperitur paruitas materiae, neque hic datur aliqua specialis ratio, quare non

non reperitur. Unde minus bene Abulens. c. 22. Matth. q. 110. dixit semper esse peccatum mortale, quia cum consistat hoc peccatum in consideratione personae, & non causa, ut causa, non potest in illo interuenire inconsideratio, ratione cuius quod est peccatum mortale ex genere, fit aliquando veniale: sed non obstat ratio haec Abulensis, quia licet semper interueniat consideratio personae: at potest hoc contingere circa materiam ita exiguum ut talis acceptio non excedat culpam venialem. Et sic hanc conclusionem tenent Soto lib. 3. de inst. quae. 6. art. 1. Aragon, & Salon dicto art. 1. Gerson 1. parte, Alphabeto 24. littera T. Sylu. verbo acceptio personarum, quae. 1. & ibi Art. num. 1.

DUBIUM II.

An peccent mortali peccato acceptio- nis personarum conferentes Ecclesiastica beneficia dignis, omisis dignioribus.

HAc in re supponenda sunt aliquot fundamenta.

Primum est, bona communia, quae distribuuntur in republica, sunt in duplici differentia: alia sunt, quae instituta sunt principaliter, & immediate in bonum, & utilitatem particularem ipsorum civium, ut si in hoc oppido esset aliqua pecunia in arario publico singulis annis distribuenda civibus secundum eorum indigentiam, vel dignitatem; alia sunt principaliter, & immediate pro ministerio, & bono communi instituta, ut beneficia, & officia publica in republica seculari, ut exponam fundamenta sequenti.

Secundum fundamentum est, beneficia Ecclesiastica, & officia publica in republica seculari primario, & principaliter instituta sunt in utilitatem Ecclesiae, & reipublicae, ut scilicet sint stipendia ministrorum, ut Ecclesiae & reipublicae idoneos habeat ministros: secundario autem, & minus principaliter, ut praemia & conuentia eorum, qui de Ecclesia, & reipublica propter eorum virtutes, & literas benemeriti sunt. Probatur prima pars, quia fideles non conturbant primo, & per se decimas, ex quibus constantur beneficia, ut sint praemia bonorum, sed ut Ecclesia habeat sufficientes stipendium, quo alant ministros, qui ipsi seruiunt: & similiter ciues contribunt Principi, ut destinet bonos ministros, qui reipublicam administrant. Item quia Num. 18. dicitur, filius Levi dedi omnes decimas pro ministerio, quo seruiunt mihi in tabernaculo. & Luca 10. Dignus est operarius mercede sua. & 1. ad Tim. 5. dicit D. Paulus, qui bene praesunt, duplici honore digni sunt. vbi non dixit, qui boni sunt; & in Concilio Lateran. sub Leone X. sess. 9. dicitur, beneficium dari propter officium. Ergo praecipue sunt ob Ecclesiae utilitatem, & ministerium ipsi impendunt. Probatur secunda pars, quia alias cessaret studium, & honestissima emulatio, nisi quisque intelligeret ad suos labores, & merita esse recipiendum. Item quia si essent duo beneficia non aequae pinguis, & Ecclesiae aequae indigentes, certum est pinguis esse conferendum digniori, & tunc non ratio Ecclesiae, quia tunc utraque aequae indiget: ergo ratione eligendorum; ergo. Tandem, quia alias nulla esset personarum acceptio, si non gratia ministrorum, sed tantum gratia Ecclesiae instituta essent, si minus dignis conferentur, cum

ipsi nullum ius habeant; quod est contra omnes. Sic tenent Nau. lib. 2. de rest. c. 2. n. 1. 41. 142. fol. 95. & n. 177. fol. 107. & n. 153. fol. 99. Aragon 2. 2. quae. 62. art. 2. fol. 201. pag. 1. Salon ibi quae. 63. art. 2. controu. 3. fol. 1102. Soto 3. de inst. q. 6. art. 2. & lib. 4. q. 6. art. 3. circa solutionem D. Thom. ad 6. Ledesma. 2. 4. quae. 18. art. 2. dub. 9. 8. Hic notatis.

Hinc inferitur, quod haec bona distribuens duo tenetur attendere, alterum est utilitas Ecclesiae, ut scilicet illum eligat, qui aptus sit exercendo muneri, siue spirituali, siue temporalis, ad quod eligitur, & hoc tenetur facere ex iustitia commutativa, faciendo scilicet aequalitatem inter ministrum, quem eligit, & stipendium, quod confert Ecclesiae, vel reipublica ad ministerium, ad quod eligitur. Alterum est meritum illorum, inter quos fit electio, ad quod tenetur ex iustitia distributiva, quia cum beneficia non tantum sunt stipendia pro idoneis ministris, sed etiam praemia, quae secundum iustitiam distributivam sunt melioribus conferenda, fit, ut qui distribuit, non tantum teneatur habere rationem sufficientiam ministrorum, quod scilicet distribuat dignis, & sufficientibus ministris, quod ad iustitiam commutativam pertinet, sed etiam meritorum, quae ministri habent, ut scilicet det dignioribus, quod pertinet ad distributivam: & quia principalis instituta sunt haec in utilitate Ecclesiae, & minus principaliter, ut praemia ministrorum, fit, ut in horum distributione magis locum habeat iustitia commutativa, licet etiam concurrat minus principaliter distributiva, sic Soto, Ledesma, Salon, Aragon proxime citati. Et idem Aragon quae. 63. art. 2. fol. 310.

Tertium fundamentum sit, quatuor conditiones pensanda sunt ad videndum quis fit dignus, & dignior. Prima est habitus, seu capacitas iudicialis, id est, conditiones, quas postulat ius, ut aetas legitima, quod sit ex legitimo matrimonio, &c. Secunda, honestas morum, id est, quod habeat mores honestos, & probos. Tertia, scientia competens ad ministerium, ad quod eligitur. Quarta, prudentia, & industria rerum agendarum: & eo magis quis dignus habebitur, quo magis de his conditionibus participaverit, nec ad colligendum quis fit dignior, sat erit vnam conditionem aduertere, sed opus erit omnes attendere, & ponderare omnes illas in ordine ad principale finem beneficij, vel dignitatis, quae confertur. Potest enim contingere, quod minus bonis moribus, si praerimineat scientia, vel industria rerum agendarum, fit dignior, ac preferendus ad beneficium, quia est utilior bono communi. Sic D. Thom. & Calet. 2. 2. quae. 62. art. 2. vbi Aragon fol. 306. p. 2. Salon eodem art. 2. tota controuersia 1. Soto lib. 3. de inst. q. 6. art. 2. Ledesma 2. 4. quae. 18. art. 2. dub. 9. Abul. cap. 22. Matth. q. 116. Conar. regula Peccatum 2. p. 87. num. 4.

Nota primo quod haec conditiones non sunt metaphysice attendenda, hoc est, non attendenda maior dignitas ministri ex solis qualitatibus eligendorum metaphysice consideratis, sed moraliter, & practice ex qualitatibus executioni mandatis, & redactis in opus, quia cum beneficia, & officia principaliter instituta sint, ut Ecclesia idoneos habeat ministros, ille minister simpliciter censendus est dignior, qui huic fini consequendo practice, & moraliter inditeatur a prioribus, quod prudenter iudicat elector minus doctum, & minus sanctum diligentius laboratum, & con-

tinuam refectantiam facturum, vt quod alius do-
ctor, & sanctior non ministrabit Ecclesie, quia
prebens non aderit ille minus doctus, & minus
sanctus est dignior, quia in hoc casu hic futurus
est vilior Ecclesie suo labore, & residentia. Sic
Ledesma dicit dub. 9. Salon 2.2. q. 63. art. 2. contro-
uersia 3. fol. 1024. Aragon 2.2. q. 62. art. 2. fol. 203.
pag. 1. vbi bene addit, quod in hoc casu ille do-
ctor, & sanctior erit indignus: quod limitat Le-
desma, nisi aliunde Ecclesie vniuersali esset mul-
to vilior. Soto lib. 3. de iust. quest. 6. art. 2.

6 Aduerte, quod dixi in hoc fundamento, & in
notabili posse aliquando eligi minus sanctum
propter excessum in aliis conditionibus, & non
dixi in alium preferri bono, quia qui non est bo-
nus, nunquam est dignus ad ecclesiastica ministere-
ria, maxime quando eligeretur ad beneficia cura-
ta, quia qui non diligit dominum, non diligit gre-
gem suum, nec habebit curam illius. Et sic Ioan-
nes Villosio, volens Christus eligere Petrum in patro-
nem, interrogauit, diligit me? &c. & hanc est com-
munis sententia Sanctorum ibi, & tenent omnes
Doctores statim citandi.

7 Sed dubitatur qualiter accipienda sit hanc mo-
ram honestatis, scilicet an sit peccatum mortale eli-
gere ad beneficium eum qui est in peccato morta-
li. Quidam enim Doctores id videntur significa-
re. Sic D. Thom. quodlibet. 8. art. 6. vbi hanc dicit, per
quod nonneque peccatum mortale aliquis redditur indi-
gnus ad quodcumque spirituale exequendum. Et D.
Dionys. in epist. ad Demophilum, vbi loquens de
sacerdote malo, inquit non est ille sacerdos, sed inuic-
cia dolosus, & lupus super dominicum populum. Et
Arm. verbo electio n. 21. vbi hanc dicit, eligens quem
credit esse in mortali, peccat mortaliter, sed in ratio-
ne, quam assignat, clare loquitur de electione ad
prelaturam. Ang. verbo acceptio personarum n. 6.
vbi hanc dicit, eligens malum, peccat mortaliter. Et
Guillelmus, & auctor summa virtutum, quos re-
fert, & sequitur Dionys. Carthusianus opus. de
vita canonicorum, art. 22. sub finem, vbi hanc dicunt,
Peccat mortaliter qui est in mortali, quousque cupit, aut
acquirere iuribus ecclesiastica bona, quousque indignus.
Et Turc. cap. fin. dist. 2. §. 1. vbi dicit de necessi-
tate precepti esse, vt promouendus in Episcopatum,
vel aliam dignitatem ecclesiasticam, actu sit
sine peccato mortali; & Palacios super id Matth.
18. Nisi conuerfit, vbi hanc dicit, qui est in mortali, est
inre diuino inhabilis ad prelaturam. Faciunt etiam
ad hoc alij Doctores dicentes, malum indignum
esse, hi sunt Ang. & Arm. verbo, electio, num. 24.
Tab. electio 1. quest. 16. Rosel. electio, n. 36. Syluest.
electio 1. q. 14. Panor. c. dudum 2. de elect. Albertus
Magnus, quem refert, ac sequitur Gabr. 4. dist. 15.
quest. 7. art. 3. dub. 1. conclus. 1. Caiet. 2.2. q. 63. art. 2.
& q. 187. art. 2. D. Anton. 2. part. tit. 1. c. 20. §. 1. Pa-
lacios summa, verbo acceptio personarum. Mercado
lib. 6. de contract. cap. 17. Alensis 2. p. quest. 136 mem-
bro 2. §. 1. Felin. in cap. quamuis, de offic. deleg. Abul.
c. 22. Matth. q. 116. at secundum omnes (vt in
dicemus) peccatum mortale est conferre benefi-
cium indigno. Et Caiet. verbo electio, initio, dicit
esse mortale, eligere prelatum, qui est in mortali.

8 At dicendum est per aliquod peccatum mor-
tale ex fragilitate commissum non dici ministerium
indignum, si alias sit bene morigeratus, sed qui
diu datur in peccato mortali: pro hac parte est
Ledesma 2.4. quest. 18. art. 2. dub. 9. & Aragon 2.2.

q. 62. fol. 203. art. 2. pag. 1. vbi ambo dicunt, quod
bonus minister dicitur ille, qui est talis, de quo
communiter habetur opinio, quod regulariter &
vt in plurimum non est in peccato mortali. Et
idem Aragon quest. 63. art. 2. fol. 306. pag. 1. dicit
quod est ille, qui non est improbus, & vitiosus
saltem per modum habitus, & consuetudinis in
peccato mortali. Et Corduba summa quest. 4. 1. vbi
dicit certum esse datam curam cui, qui est in
statu peccati mortalis, & recipientem peccare
mortaliter. Et Nauarr. miscel. 39. num. 64. vbi hanc
dicit, mortaliter peccat, si acceptat beneficium, scient se
esse in statu peccati mortali. Pro hac parte est etiam
Soto lib. 3. de iust. quest. 6. art. 2. conclus. 6. vbi dicit,
indignum ministerium esse, qui prauus est, & cor-
ruptis moribus non dicitur talis per peccatum
mortale semel admissum. Et lib. 10. de iust. quest. 1.
art. 2. ad 3. vbi hanc dicit, ille qui cum animo perse-
uerandi in peccato mortali Episcopatum acceptat, pec-
cat mortaliter; vbi non dicit, qui est in peccato
mortali transeunt.

Sed an sit peccatum mortale eligere ad benefi-
cia huiusmodi malos, qui scilicet frquentes sunt
in peccato mortali. Dico ad beneficia curata esse
mortale, vt ex hoc Doctoribus probaui, & etiam
tenet Aragon 2.2. quest. 63. art. 2. fol. 307. vbi addit
quod ad simplicia beneficia non est ita certum, at
est probabilissimum. Sed ego probabilis credo
non esse mortale ad simplicia, & fere omnes Do-
ctores citati in beneficio curato loquuntur: ne-
que est ratio, que urgeat ad dicendum esse mor-
tale in simplicibus.

Item nota quod licet quando sunt cetera paria,
ille, qui est industrius, & diligentior ad tempora-
lia gubernanda, est preferendus, at quando pro
temporalibus est optimus, in spiritualibus vero
minus diligens, preferendus est diligentior in
spiritualibus, quia hanc sunt principalia, cetera
vero accessoria. Sic Caiet. 2.2. q. 63. art. 2. Abul.
cap. 22. Matth. quest. 116.

Item nota quod licet in promotione ad prela-
turas, & officia spiritualia sit simpliciter prefe-
renda scientia nobilitatis generis, & potentia sa-
culari, quia plus confert ad Ecclesie regimen,
at in aliquo casu preferenda est nobilitas perso-
nae ad hoc vt arceantur lupi, qui non tantum pa-
cem temporalem, sed etiam spirituales Ecclesie
impediunt. Ratio, quia in Ecclesia non tantum
debent esse oculi, id est, sapientes ad dirigendum,
sed etiam manus id est, viri nobiles, & potentes
ad defendendum, & operandum, & ita fecerunt
varios casus, & dispositiones Ecclesie variae per-
sonarum conditiones preferenda sunt. Sic Alen-
sis 2. p. quest. 136. membro 2. §. 1. Gabr. 4. dist. 15. q. 7.
art. 3. dub. 1. Ang. verbo acceptio personarum, num. 5.
& Syluest. ibi quest. 6.

Quarum fundamentum sit. Certissimum est
in hac re peccare mortaliter conferentem benefi-
cia indignis. Ratio, quia facit contra iustitiam
commutatiuam, ob id enim fideles decimas pen-
dunt, vt sibi idonei ministri assignentur, qui sa-
cramenta conferant, predicent, &c. facit & con-
tra distributiua, quia non distribuit beneficia,
quae bona communia sunt, secundum merita per-
sonarum: in hoc conueniunt omnes Doctores
citandi.

Nota, quod indignus dicitur, qui non habet
qualitates requisitas ad ministerium, cui prefi-
citur,

citur; dignus vero dicitur, qui suum munus ex-
cui scit, & solet, quamuis literatus non sit, sic ha-
betur in cap. graue, de prebendis, & docent Spino
speculo reb. gl. 4. principali, num. 88. Nauar. lib. 2. de
restit. cap. 2. num. 149. fol. 98.

24 Hic ergo suppositis, dubium principale est, an
peccet mortaliter conferens beneficium digno,
omisso digniori.

25 Duplex est sententia.
Prima docet non peccare, sed satis esse confer-
re digno. Probatur ex e. cum nobis olim, & cap. inter
canonicos, de elect. quibus confirmari praecipitur,
qui non habet legitimum impedimentum, licet
non sit eminentior. Et ex cap. monasterium 14. q. 7.
vbi dicitur patronum posse nominare, quem vo-
luerit, modo si malus non sit, ergo. Secundo, quia
beneficia sunt in utilitatem Ecclesie, vt illis veluti
stipendiis prouideantur in Ecclesia idonei mi-
nistri, sed hoc satis impletur per bonos, & dignos
ministros, ergo non facit contra iustitiam, vel fi-
delitatem, qui dignos praeficit, licet omittat di-
gniores, neque est vlla personarum acceptio, cum
illis nihil debeatur, sed Ecclesie, & acceptio per-
sonarum, vt dixi dubio precedenti, tantum habet lo-
cum in debitis ex iustitia. Sic tenent glossa cap.
constitutio 2. de appel. vers. magis, & cap. de offic.
custodie, vers. sanctiores, & cap. quoniam, de iure patron.
vers. qui maioribus, & glof. & Hergo, & Apparatus cap.
licet ergo 8. quest. 1. idem glof. dicto cap. monasterium.
Peralinus dicto cap. constitutio. Ioan. Andreas, vt
refert Adrian. infra.

26 Secunda sententia omnino tenenda docet pec-
catum mortale esse eligere dignu ad beneficium,
omisso digniori. Probatur multis testimoniis sa-
ctae Scripturae, & decretis, quae videtur potes in
Soto vbi infra, & in Lessio vbi infra. Item probat
ex cap. unico, vt ecclesiastica beneficia, vbi sic di-
citur, Deuisti ecclesiasticum beneficium in persona ma-
gis idonea dispensare. Et in Trident. sess. 24. cap. 18. de
reformat. vbi sic dicitur, Episcopus cum eligat, quem
ceteris magis idoneum iudicauerit. Et paulo post,
Patronus dignorem inter probatos ab examinatore
Episcopo presentare teneatur. Item quia, vt probaui
secundo fundamento, licet beneficia primo, & per
se instituta sint in utilitatem Ecclesie, at etiam
sunt praemia eorum, qui in Ecclesia proficiunt, ne
doctrina, & virtus neglecta iaceat, sed de ratione
praemij est, vt digniori conferatur; ergo ex iusti-
tia distributiua ordine, & praepcepto sunt digno-
rius conferenda; ergo cum materia sit grauis,
violans hunc ordinem peccat mortaliter. Et con-
firmatur, quia si omittatur dignior, iam non at-
tenditur causa, quae reddit hominem digniorem;
ergo est acceptio personarum. Neque obstant ad-
ducta in oppositum, quia duo priora capita tan-
tum volunt electionem digni, omisso digniori,
esse validam, quod nos dicemus infra. Et caput
monasterium, petit specialem questionem de pa-
trono, de qua nos infra. Ad rationem patet ex
dictis, quod sunt debita dignioribus ex praepcepto
iustitiae distributiuae. Hanc tenent D. Thomas 2.2.
q. 63. art. 2. & q. 187. art. 3. & Ioan. 2.1. lect. 3. quadri-
beto 6. art. 9. quadlibet. 8. art. 6. Caiet. 2.2. q. 62. art. 2.
& q. 187. art. 3. & in summa verbo electio, vbi & Pa-
lacios. D. Ant. 2. part. tit. 1. cap. 20. §. 1. Arm. verbo accep-
tio personarum n. 2. 3. & verbo electio n. 3. 4. Tabien.
electio 1. n. 13. Ang. verbo acceptio personarum, n. 6.
& verbo electio n. 2. Syluest. verbo acceptio perso-

narum q. 2. & 4. & verbo electio 1. q. 16. Nau. lib. 2. de
restit. c. 2. n. 133. fol. 99. Salon 2.2. q. 63. art. 2. controuer-
sia 3. fol. 1005. Aragon ibi fol. 311. & quest. 62. art. 2.
fol. 203. & fol. 208. dicit etiam ipsum Papam pec-
care mortaliter conferendo beneficium minus dig-
no. Gabr. 4. dist. 15. quest. 7. art. 2. dub. 1. Mercado
lib. 6. de contract. cap. 17. Lira in illud Ioan. 2.1. Simoni
Ioannis diligit me. Alensis 2. p. q. 136. membr. 2. §. 2.
Rosel. verbo acceptio personarum. Abul. c. 22. Matth.
q. 116. cap. & ad 2. Altifiod. 2. p. tract. 34. Sotus 3. de
iust. q. 6. conclus. 9. in art. 2. Henricus, & Gofredus,
per eum citati. Ledesma 2.4. quest. 18. art. 2. dub. 9.
fol. 253. colum. 1. Couarr. reg. peccatum 2. p. §. 7. n. 4.
Panor. cap. constitutus 2. de appellat. Rochus de
inrepatron. verbo honorificum. q. 15. Ludou. Gomez
cap. 2. de const. in 6. n. 12. Maior 4. dist. 24. q. 8. & 9.
Adr. 4. materia de rest. q. Quia iam determinatum est
conclus. 1. Ioan. Lupus cap. per vestras, notabilis 3. §. 2. 6.
n. 12. Lambert. de inre patron. 2. lib. parte 1. quest. 10.
art. 2. Molina in differentis inter foron contentiuar,
& anima. differ. 13. Nauarr. miscellaneo 43. num. 76.
& cap. si quando de rescript. ex cap. 11. ad 2. Turc. cap.
licet 8. q. 1. n. 6. Olchot super cap. 9. Sapientia, lect. 19.
lira B. Perez lib. 1. ordinamen. tit. 6. fol. 253. Gerlon
2. p. Alphab. 24. lura K. Nicua summa tit. 14. & 48.
Molina lib. 2. de primos. cap. 5. num. 50 & 66. Padilla
l. cum quidam ff. de legat. 2. num. 19. & Lessius lib. 2.
cap. 34. dub. 14.

Nota quod haec sententia limitanda est primo,
nisi excessus sit exiguus inter ipsa beneficia, li-
cet sit excessus notabilis inter personas, (vt in-
quit Salon) si beneficium, vt certum, confera-
tur digno, digniori vero beneficium, vt sexa-
ginta & sex, tunc enim est veniale propter leuem
excessum, qui aequiualet leuitati materiae; licet
enim, vt mox dicam, ab excessu, qui est inter
personas, sumenda sit radix grauitatis materiae,
at quia, quando inter beneficia excessus est exi-
guus, damnum, quod inferitur digniori, est exi-
guum, ideo ex paritate materiae est tunc venia-
le. Similiter est veniale, quando licet excessus in-
ter beneficia sit notabilis, at excessus inter perso-
nas est exiguus. Quod si opponas, quod tunc ir-
rogatur grauis iniuria, & graue damnum, digno-
ri omisso, id negatur, quia irrogari grauem ini-
uriam, & grauis materiae non est attendenda
ex qualitate beneficii, sed ex excessu magno, vel
paruo in meritis, & quia ratio, vnde emanat il-
lus in maius dignioris, est modica, scilicet exi-
guus excessus in meritis, ideo non est mortale
praetermittere digniorem, sicut licet magis con-
iunctis sit facienda elemosyna, at si qui subue-
niat consanguineo in quarto gradu, dimisso con-
sanguineo in tertio, aut matri relicto patre, tan-
tum peccat venialiter, quia ratio potius subue-
niendi vni, quam alij, quae est consanguinitas ma-
ior, est exigua, licet res, in qua subueniunt, esset
grauis, vt vita, &c. Sic tenent Soto lib. 3. de iust.
quest. 6. art. 2. post 9. conclus. vers. at vero. Nauarra
lib. 2. de restit. cap. 2. num. 162. fol. 102. Aragon 2.2.
quest. 63. art. 2. fol. 311. Salon eodem art. 2. controu. 3.
fol. 1001. 1002. Nauarr. miscellaneo 43. num. 77. Syl-
uest. electio 1. quest. 16. Gerlon 2. p. Alphab. 24. lura
R. & iuniores docti, quos ego conuulsi.

Notat tamen bene Salon ibi, quod excessus hic
inter beneficia non tantum est attendendus, quoad
redditus pecuniarios, sed etiam quoad digni-
tatem, honorem, & alia, quae efficiunt benefi-
cium

cium præstantius, potest enim beneficium parum excedere alium in redditibus, multum tamen in dignitate, & honore, & tunc si adimeretur digniori notabiliter, esset peccatum mortale, quia fieret grauis iniuria in honore, in quo apud viros cordatos est grauior iniuria, v.g. si habens cathedram opponit se alteri vacanti, & non confertur ei, cum sit dignior, est peccatum mortale; etiam si ea, quam habet, sit æqualis stipendij illi, cui se opponit, quia cadere in oppositione cathedræ est multi honoris, & dignitatis, sic Salon ibi.

19 An verò elector, qui simpliciter iurauit se electurum digniorem, peccet mortaliter, eligens minus dignum, quando excessus alterius est exiguus, pendet ex ea quæst. An frangere iuramentum promissiorum in materia leui, quando est materia totalis & integra, sit peccatum mortale. Et qui dicitur esse peccatum mortale, dicent in hoc casu peccare mortaliter, qui verò dicunt non esse mortale, dicent in hoc casu non esse mortale, vt bene dicit Salon dicto art. 2. fol. 1002. & docti iuniores. Quare nos, qui in lib. 3. summa cap. 4. num. 23. cum multis aliis Doctoribus tenuimus non esse mortale frangere iuramentum in tali materia, dicimus, nec in hoc casu peccare mortaliter. Sic docti recentiores à me consulti, & Nauarr. lib. 2. de restit. cap. 2. num. 161. & 162.

20 Secundò limitanda est hæc sententia, vt intelligatur in beneficiis curatis, nam in aliis simplicibus, vt canonicibus, & c. personatibus, & dignitatibus, quæ beneficia simplicia sunt, tantum est veniale omittere digniorem, modò dignus eligatur ratio quia in his non grauem iacturam patitur Ecclesia, si dignus eligatur, omisso digniori. Hoc est contra Molinam lib. 2. de primog. cap. 5. num. 66. & Nauarr. miscellaneo 43. n. 77. vbi dicunt esse mortale. Sed nostram sententiam tenent Nauarr. lib. 2. de restit. cap. 2. num. 146. & 147. immò ibi nullum esse peccatum dicit, sed melius ceteri solum excusant hoc à mortali culpa. Aragon 2. 2. quæst. 6. 1. art. 2. fol. 2. 11. Salon ibi controu. 3. fol. 1010. Soto lib. 3. de iust. quæst. 6. art. 2. columna penult. vers. igitur conclusio. Nauarr. summa Hisp. cap. 28. addit. ad num. 140. cap. 25. Gabr. 4. dist. 15. q. 7. art. 3. dub. 1. conclus. 2. Ang. verbo acceptio personarum. num. 6. & verbo electio, num. 21. vbi malè limitat, hoc verum esse, quando id facit ex affectione, si enim faciat tantum, quia vult, peccat mortaliter: sed falsa est hæc limitatio. Aletensis 2. p. quæst. 136. memb. 2. §. 1. & docti iuniores, quos ego consuli; & innuit Abul. cap. 22. Math. quæst. 116. corpore, & ad 1. vbi dicens esse mortale præferre minus dignum ad beneficia, semper limitat ad habentia curam animarum.

Hæc tamen limitatio patitur tres exceptiones, in quibus est mortale præferre minus dignum ad beneficia simplicia.

21 Prima est, quando ea talia sunt, quæ requirunt maiorem sufficientiam in ministro, quam curata, vt tres canonicatus, qui sunt in Ecclesia cathedrali, vnus ad explicandam sacram Scripturam, alius ad concionandum, tertius canonicatus penitentiariæ; sic Nauarr. ibi, Salon ibi fol. 1024. controuers. 4. sine. Lessius supra num. 64.

22 Secunda exceptio est, nisi ex collatione beneficii simplicis facta minus digno, sequeretur notabile damnum. Sic Nauarr. dicto cap. 28. addit. citata, & docti recentiores.

Tertia exceptio est, quando beneficia simplicia dantur per viam oppositionis, tunc enim esset mortale dare digno, prætermisso notabiliter digniori, quia magnam iacturam in honore, & estimatione patitur dignior victus in oppositione: vt dixi in notabili posito post primam limitationem, vbi dixi id esse verum, licet haberet aliam æqualis stipendij cathedram. Hoc est contra Nauarr. in omnibus summis cap. 25. num. 57. vbi dicit, *secluso iuramento non esse mortale eligere minus dignum ad cathedras, quæ per oppositionem dantur.* Sed nostram sententiam in beneficiis simplicibus, quæ per oppositionem dantur; tenet idem Nauarr. summa cap. 28. addit. ad num. 140. cap. 25. Aragon dicto art. 2. fol. 3. 11. quæst. 63. Nauarr. dicto num. 147. & docti recentiores à me consulti. Et in cathedris, quæ per oppositionem dantur, quòd sit mortale eligere minus dignum, tenent vltra citatos Nauarr. eodem cap. 2. num. 133. fol. 92. & num. 161. Salon 2. 2. quæst. 63. art. 4. sine. fol. 1125. Soto 4. de iust. quæst. 6. art. 3. sub finem, versic. postremum denique. Ledesma 2. 4. q. 8. artic. 1. dub. vlt.

Tertiò limitanda est sententia, nisi quis eligat dignum omisso digniori, eo quòd breui expectatur locupletior præbenda pro illo digniori: tunc enim non peccaret, quia consulti maiores, & Ecclesiæ, & ipsius dignioris vtilitati. Sic Soto 3. de iust. quæst. 6. art. 2. argument. 1. quod ponit post 9. conclus.

24 Quartò limitanda est hæc sententia, nisi bonum Ecclesiæ exposcat, vt beneficium detur digno, v.g. si vacent duo beneficia, quòrum pinguius est simplex, vel si sit curatum, habet pauciores parochianos, vel minus indigentes, tunc digniori conferendum esset minus pingue. Ratio, quia cum beneficia in vtilitatem Ecclesiæ primario instituta sint, hæc semper bono priuari ministri præferenda est. Hoc est contra Ledesma. 2. 4. quæst. 18. art. 2. dub. 9. fol. 256. pag. 2. vbi tenet etiam in hoc casu pinguius beneficium esse dandum digniori, quia est minister Ecclesiæ vniuersalis; & magis benemeritus de ea. Sed nostram sententiam tenent Aragon 2. 2. q. 63. art. 2. fol. 3. 12. pag. 2. Salon ibi controuersia 3. fol. 1001. & 1003. Soto 3. de iust. quæst. 6. art. 2. in solut. 2. quod ponit post 9. conclus. Nauarra lib. 2. de restit. cap. 2. num. 140. fol. 95. & docti recentiores.

25 Quintò limitant aliqui hæc sententiam, vt teneatur quis ad beneficia eligere digniorem, si consideretur beneficium formaliter, id est, quatenus est honoris, & prouentus rerum temporalium, quia sic ad regulas distributionis communium bonorum spectat; si tamen attendatur ad principale, quod reperitur in beneficiis, scilicet officium pascendi, ministrandi diuina: satis est si conferatur digno, quia sic non est distributio honoris, sed oneris, & alias rationes asert Salon vbi infra, pro hac sententia, quam tenent multi recentiores, vti refert ibi Salon, & eam tenet Caiet. in summa, verbo electio, & verbo beneficium, §. penult. & ientaculo 12. quæst. 4. & alij docti recentiores.

Ceterum bene Salon 2. 2. quæst. 63. art. 2. controuers. 3. fol. 1004. & 1005. dicit non oportere inter hæc distinguere, quia licet opere intellectus secerni possint, at id ad rem moralem nihil confert, cum actu, & re ipsa semper inseparabilia sint. Et Couarr. reg. peccatum 2. p. 8. 7. num. 4. versic. igitur

An teneatur eligere digniorem, etiam si videat suo suffragio nil profuturum, immò obfuturum.

igitur bene reprobat Caietanù, defendens vtro ex illis modis considerentur beneficia esse danda dignioribus, saltem ex virtute fidelitatis, qua tenetur dispensator fideliter dispensare præficiendo Ecclesiæ, & reipublicæ digniorem ministrum suis muneribus obeundis.

28 Sextò extendenda est hæc sententia ad religiosos, illi enim tenentur in sum prælatum eligere digniorem, & hoc sub mortali. Ratio, quia est res maximi momenti, & eligitur ille ad prælaturam, quæ habet curam animarum regulariù. Sic Salon 2. 2. q. 63. art. 2. controu. 3. fol. 1008. Nauarra lib. 2. de restit. cap. 2. num. 159. fol. 101.

29 Tandem nota, hoc præceptum eligendi digniorem esse de iure diuino, & naturali, id enim expescit, vt bona communia, & meritum præmia conferantur dignioribus, & vt dispensans fidelitatem seruet, præficiendo Ecclesiæ, & reipublicæ digniorem ministrum, hoc est contra Nauarram lib. 2. de restit. cap. 2. num. 147. fol. 92. sed id tenent Salon 2. 2. q. 63. art. 2. contr. 3. fol. 1009. Soto 3. de iust. q. 6. art. 2. concl. 9. Abul. 2. 2. Math. q. 116. ad 1. & 2.

An obligatio eligendi digniorem ita aucta intelligatur, vt sit dimouendus dignior ab alia Ecclesiâ minus pingui, cui præest, vt ad pinguiorem promouatur, v. g. an vacante pinguisimo beneficio, vel Episcopatu, teneatur elector promouere, & eligere digniorem inter ipsos, qui alia beneficia, vel Episcopatus minus pingues habent.

1 Primò dico, quòd regulariter non tenetur, imò hæc mutationes raro faciendæ sunt, quia electio dignioris intelligitur, nisi communis vtilitas Ecclesiæ aliud exposcat, & communiter expedit Ecclesiæ, ne mutetur Episcopus. Primò, quia ob tales mutationes Episcopi sunt semper animo pendentes, expectantes pinguiorem Ecclesiam, quò sit, vt quam habent, non ament, vt debent, nec curent, vt sibi dilectam sponfam, sed vt concubinam ad tempus, cum vera, & firma dilectio oriri soleat ex perpetuo nexu. Secundò, quia propter has mutationes totum ferè tempus, quo in vnaquaque existunt Ecclesiæ, debent consumere in cognoscendo grege, & ingenio suarum ouium, antequam incipiant illas debite pascere. Sic Soto lib. 3. de iust. quæst. 6. art. 2. post 9. concl. versic. verum ex hoc tamen. Aragon 2. 2. quæst. 63. art. 2. fol. 3. 12. pag. 1. Salon ibi controu. 3. fol. 1010. & docti iuniores, & Vazquez late, & optime tom. 3. in 3. part. disp. 241. cap. 2. & 3. vbi eiusmodi translationem Episcoporum vetitam esse iure naturali, diuino, & positivo ostendit. Et c. 4. & 5. explicat capita iuris, quæ in contrarium afferuntur: & argumenta soluit, ac denique in c. 7. docet, ex quibus causis licita sit talis translatio: & in fine addit translationem sine causa iusta factam etiam à Pontifice, non tantum esse illicitam, sed irritam, & inanem.

2 Secundò dico, quòd aliquando expedit, nempe quando Ecclesiæ vacanti non potest commodè provideri, nisi sumpto alterius Ecclesiæ pastore, vt patet ex cap. mutationis 7. q. 1. Sic Soto, Salon, & Vazquez illo cap. 7. Aragon ibi, additque, & posse bene cõtingere casum, in quo fit sub præcepto.

1 Sicut prima conclusio pro indigno, nemo potest suffragari, licet sciat suo suffragio nil profuturum, nec post electionem potest consensum præstare, quia indignus per puram iniustitiam intro mittitur. Sic Soto lib. 3. de iust. quæst. 6. art. 2. post 9. conclus. versic. sequitur post hæc. Caiet. verbo restitutio, cap. 1. versic. attende ergo, dicens peccare mortaliter, & docti iuniores.

2 Secunda conclusio. Quando si quis eligat digniorem suo casu suffragio obicit, potest eligere dignum, omisso digniori, v. g. sunt tres oppositores, quidam dignior, alius dignus, si ego suffragor digniori, indignus vincet, sed me accedente ad dignum ipse eligetur, tunc licitum est mihi eligere dignum. Ratio, quia elector solum tenetur eligere digniorem in possibilibus, ac in hoc casu eligitur dignior ex possibilibus. Secundò, quia propter maius bonum Ecclesiæ licitum est digniorem omittre, vt diximus supra dub. 2. Sic tenent Soto supra, Caiet. summa verbo electio, sine. Palacios ibi, Nauarra lib. 2. de restit. cap. 2. num. 159. fol. 101. Aragon 2. 2. quæst. 63. art. 2. fol. 12. pagin. 2. Salon ibi controu. 4. fol. 1021. & Lessius lib. 2. cap. 34. dub. 13. num. 60.

3 Immo in hoc casu tenetur elector omittre digniorem, quia sic consulat bono Ecclesiæ. Sic Nauarra, & Aragon ibi.

4 Imò hoc est verum, licet iurauit eligere digniorem, quia intelligitur de possibilibus, sic Soto, Nauarra, Aragon ibi.

5 Sed quid quando sunt duo oppositores, vel plures, & videam maiorem partem velles suffragari digno, & sic si suffragor digniori, meum suffragium erit inutile, in hac re Thomista varij sunt, vt refert Salon supra, quidam dicunt peccare mortaliter, si non suffragor digniori: alij verò esse veniale, alij verò dicunt non peccare. Et Soto tibi supra, ac docti recentiores tenent in hoc casu teneri suffragari digniori, dicuntque hi recentiores esse mortale non suffragari digniori, quia magni aestimat habuisse aliquod suffragium pro se, & maiorem actionem habebit ad sequentem præbendam, & hoc maxime in cathedris. Sed Caiet. verbo electio, sine, expressè sentit oppositum, dicit enim, quòd si is, qui verè est dignior, non potest præponi, quia alii non placet, eligendus est dignior inter eos, qui possunt haberi. Idem Syluest. electio 3. quæst. 2.

6 Tertia tamen conclusio fit, si electio est de aliquo Prælato, vel gubernatore, nullum est peccatum tunc eligere dignum. Ratio, quia electus communi consensu, & desiderio subditorum multo suauis, & melius gubernat, & melius, ac promptius illi obedit, & cum suauis, ac pacata gubernatio sit vtilior Ecclesiæ, vel reipublicæ, hic dignus in hoc casu est vtilior, & consequenter dignior, vt bene Caiet. verbo electio, versic. & scito, & se conformando huic electioni, verè cõsultur bono communi: & licet aliquale damnum patiatur dignior, debet illud pati ob bonum commune, & in hoc casu tenemus cum Caiet. Sic Salon supra, & docti recentiores.

7 Ultima conclusio extra hunc casum, vt si electio sit de aliquo canonicatu, vel cathedra, tenetur suffragari digniori, quia tunc suffragari digno, non est vile bono communi, & damnificatur dignior, qui iuste, & rationabiliter vult habere aliqua suffragia, & fiet aprior per hoc sequenti cathedra, ad illamque maiorem actionem habebit, sic Salon *ibi*, & in hoc casu tenemus cum Soto, & doctis iunioribus a me consultis.

DVBIUM V.

An patronus teneatur etiam presentare digniorem ad beneficium.

1 Nota quod prouidentes beneficia sunt in multiplici differentia, quidam sunt electores generales, qui ex officio suo eligunt, vt Papa in toto orbe, & Episcopi in suis diocesis, & de his iam diximus teneri sub mortali eligere digniorem. Alij sunt qui hoc habent iure aliquo speciali, vt quia ex suis bonis dotauerunt Ecclesias, vel propter aliquod seruitium concessum est illis ius presentandi, quod est ius patronatus, vt habet Rex Hispanie in omnibus Episcopatus sui regni, & quidam alij in aliquibus capellanis & beneficiis, & hi patroni tantum habent presentare, ac instituere, seu confirmare pertinet ad Papam, vt in Episcopatus, vel ad Episcopum, vt in alijs beneficiis. Alij sunt renuntiatores particulares, qui resignant, vel permutant beneficium in fauorem aliquis tertij. Et de singulis horum agendum est. Et sic in presentandi dubitatur de patronis, an teneantur sub mortali presentare digniorem, sicut supra dubio 2. diximus teneri electorem sub mortali eligere digniorem.

Duplex est sententia.

1 Prima dicit non teneri presentare digniorem, sed posse presentare dignum. Probat ex *cap. monasterium* 16. q. 7. quod est Romanae Synodi, vbi habetur, cum, qui construxit monasterium, vel oratorium, posse presentare quem voluerit, modo is malus non sit. Et in Concil. Trid. *sess. 24. cap. 18. de reform.* vbi dicitur, quod patronus Ecclesiasticus teneatur eligere digniorem. Si tamen beneficium sit iuris patronatus laicorum, presentatus examinatur a deputatis, & non nisi idoneus repertus admittatur. Secundo, quia patronus laicus censendus est quasi institutor beneficij ex proprijs bonis, quia vel verè dotauit, vel si habet ex priuilegio Papae ius presentandi, tot obsequia praestitit in utilitatem Ecclesiae, ob qua gratia ea sibi concessa est, vt petinde sit, ac si illam Ecclesiam dotasset, & construxisset. Et sic tenet Lambertinus de iure patron. *lib. 2. 1. part. 9. 10. art. 3. num. 17. 18. 19. 20. P. Doctor Henricus in suis manuscriptis*, & per hoc dixit excusari Regem Hispaniae presentando ad Episcopatus dignum, omisso digniori, & hanc dicit esse valde probabilem, licet oppositam probabiliorum, de patronis laicis, qui ideo habent ius presentandi, vel quia construxerunt, vel dotauerunt Ecclesiam de proprijs bonis, non verò de illis, qui hoc priuilegio gaudent ex sola Pontificis concessione. Aragon 2. 2. q. 63. art. 2. fol. 313. pag. 1. & eandem tenet, quoad beneficia simplicia, non verò quoad curata, Nauarra *lib. 2. de rest. c. 2. n. 15. fol. 98.*

2 Secunda sententia probabilior docet teneri etiam patronum laicum ex iustitia distributiva

sub mortali presentare digniorem eodem modo, quo supra dubio 2. diximus hoc de electoribus. Probat, quia hi patroni ex priuilegio speciali habent hoc ius presentandi loco priorum electorum, scilicet Papae, & Episcopi, quibus in hoc succedunt ex gratia speciali: ergo tenentur in eligendo seruare modum, quem priores electores seruare tenebantur, scilicet eligere digniorem. Item quia qui ex proprijs bonis dotauerunt Ecclesias, iam ea bona transtulerunt in ius, & potestatem Ecclesiae: & sic ratio postulat, & ea lege virtualiter ab Ecclesia acceptata sunt, vt dependent debeant veluti caetera bona Ecclesiastica, scilicet dignioribus. Item quia Episcopatus sunt bona communia, & alia beneficia ex decimis instituta sunt bona communia, vt ex decimis totius populi constituta; ergo debent restitui secundum ordinem iustitiae distributivae, licet dignioribus. Item quia omnia incommoda, quae sequuntur ex hoc, quod electores non eligant digniorem, sequuntur etiam ex hoc, quod patronus non presentet digniorem. Ne rationes oppositae probant, quia iura ibi citata tantum probant talem electionem digni admittendam esse in foro externo, ac validam, & sic teneri Episcopum confirmare, vt dicemus dubio sequenti. Et falsum est, quod patronus ex priuilegio censetur quasi institutor ex proprijs bonis: & licet hoc esset, iam diximus etiam hunc teneri eligere digniorem. Hanc tenent Couarr. *reg. peccatum* 2. p. §. 7. num. 5. Federicus *conf. 95.* Molina *lib. 2. de primogen. cap. 5. num. 69.* Spino *speculo testamentorum gloss. 4. principali, n. 85.* Mandosius *addit. ad Lagum allegat. 22.* Aragon 2. 2. q. 63. art. 2. fol. 312. pag. 2. fine. & 313. pag. 1. & *quest. 62. art. 2. circa solutionem ad 4. fol. 208.* Salon 2. 2. q. 63. art. 2. *controuers. 3. fol. 1010. 1011.* Mercado *lib. 6. de contract. c. 17. fol. 205. 208.* & docti recentiores, quos ego consulit. Et videtur expressè tenere Caiet. in *summa verbo electio. §. & scito*, vbi postquam dixit esse mortale eligere ad praeterratum minus dignum, dicit idem esse dicendum de eo, qui per viam prouisionis absque electione facit pastorem.

DVBIUM VI.

An Episcopi confirmantes electionem & presentationem digni, omisso digniori, peccent mortaliter.

1 Quaestio haec pendet ab alia prius disputanda, scilicet an electio digni, omisso digniori, valida sit in foro externo: quidam enim excipiunt tres casus, in quibus dicunt non valere. Primus casus est, cum electio non ex hominis, sed ex legis beneficio competit. Sic Petrus de Bellapertica, quem referit Immola, Paulus de Castro, & Padilla *infra*. Secundus casus est, quando plures Episcopi presentantur ab vno, eodemque patrono, vel aequali patronorum suffragio, & Episcopus minus dignum, omisso digniori, eligit. Sic Panor. *cum autem de iure patronatus*. Immola & Cardin. *Clement. plures, eodem tit.* Rochus *de iure patron. verbo honorificum, quest. 13.* Gregor. Lopez *part. 1. tit. 15. l. 5. vers. digno*. Tertius casus est quando ante electionem, quae de certis facienda est, denunciatur electoribus, vt digniorem eligant, & a contraria electione, si facta fuerit, ab initio proposita est appellatio. Sic Panor. *mit.* & Decius *cap. constitutus el. 2. de appellat.* glossa

glossa *pragmat. sanctio. tit. de election. §. ego N. versio. vtiliorem.* Lambertinus *de iure patron. 2. lib. part. 1. quest. 10. art. 3.*

2 Caeterum dicendum est talem electionem validam esse in foro externo (& etiam interno, vt bene Couar. & Aragon *vbi infra*) licet electores peccauerint eligendo, quod probat *cap. constitutus el. 2. de appellat.* & *cap. quia propter iuncto capite cum in cunctis de elect. cap. nisi cum pridem. §. ne pro defectu, de renuatiat. & Trident. sess. 24. cap. 1. & 18. de reformat.* vbi digniorem esse eligendum dicitur, vt a culpa elector immunis sit: at non statuit electionem digni, omisso digniori, esse rescindendam. Item quia si locus esset digniori appellandi, in discrimine adducendo electionem, magna oriretur litium conturbatio, & quareus electio pateretur calumniam. Hanc tenent D. Thom. 2. 2. *quest. 63. art. 2. ad 3.* vbi Salon *controu. 3. fol. 998. 999.* Aragon 2. 2. q. 63. art. 2. fol. 207. lex 5. tit. 15. part. 1. Nauarr. *lib. 5. consil. tit. de simonia, consil. 21. num. 1.* Spino *speculo testam. glossa 4. principali, num. 85.* Soto 3. de iustit. *quest. 6. artic. 2. conclus. 8.* Gabr. 4. *distinct. 15. quest. 7. artic. 3. dub. 1.* Padilla *l. cum quidam. ff. de leg. 2. num. 18.* & *ibi glossa vers. qui non.* & *ibi Bart.* Immola, Paulus de Castro *num. 6.* Baldus *ibi allegans Dynum*, Angel. *verbo electio, num. 21.* Syluest. *elect. 1. quest. 16.* Perez *lib. 1. ordinam. tit. 6. l. 2. fol. 255.* Molina *lib. 2. de primogen. cap. 5. num. 46. 47. 48.* Pinellus *lib. 2. C. de rescind. vendit. 2. part. cap. 1. num. 39.* Nauarra *lib. 2. de restit. cap. 2. num. 115. 156. fol. 109.* D. Ant. 2. *part. tit. 1. cap. 20. §. 1.* Lyra in id Ioan. 2. 1. Simon Ioannes *diliget me.* Abulen. *cap. 22. Matth. quest. 116. ad 1.* Caietan. *summa verbo beneficium, §. penultim.* Adrian. 4. *matéria de restit. cap. quia iam determinatum est ad 1. contra 1. conclus. Couarr. reg. peccatum. 2. part. §. 7. num. 3. 4.* Francus, & Immola *dicto cap. constitutus.* Hollen. *Joan. Andr. Butrio, Cardin. cap. cum autem, de iure patronat.* Decius *consil. 129.* Lambertin. *de iure patronat. lib. 2. part. 2. quest. 7. artic. 26. & 3. part. quest. 5. art. 2.* Et specialiter primum casum oppositae sententiae improbant Immola, Bald. Paulus de Castro, Padilla *ibidem.* Et secundum casum probant Couarr. Hoff. Ioan. Andreas, Butrio, Cardin. Decius, Francus, Lambertinus, Spino *ibidem.* Et tertium casum reprobant Couar. Francus, Immola, Molina *ibidem* num. 48.

3 Immo hoc verum est, licet electores iuramentum de digniori eligendo praestiterint, erunt enim periculi, si minus dignum elegerint, at manebit valida electio. Couar. *ibidem* num. 4. Cosmas *pragmatica sanctio. tit. de elect. §. Ego N. versio. vtiliorem.* & *ibi Probus in addit. n. 6.* Selua *de benefic. 3. part. quest. 27.*

4 Haec tamen sententia intelligenda est secundum ius commune, quia secundum statuta aliquarum religionum, vt S. Dominici, potest Provincialis cassare electionem digni, si viderit dimissum digniorem. Sic Salon *dicto* fol. 998.

5 Secundo nota, quod licet haec vera sint stando in iure antiquo, at iure nouo Concilij Trident. *sess. 24. cap. 18. de reformat.* est maxima difficultas, an electio digni ad beneficia parochialia, digniori omisso, sit valida: & similiter presentatio patroni facta de digno ad haec beneficia parochialia, omisso digniori, sit valida. Quod enim non sit valida probatur, quia ibi decernit Concilium, Th. Sanchez. *Consil. moral. Tom. I.*

quod Episcopus teneatur ex examinatis eligere digniorem ad haec parochialia; & quod patronus Ecclesiasticus teneatur presentare digniorem; & in fine concludit haec verba: *alias prouisiones omnes, seu institutiones praeter supra dictam formam facta subreptitia esse censentur.* & Pius Quintus anno 1566. edidit motum proprium super collatione parochialium, vbi confirmans hoc decretum Tridentinum. haec dicit: *omnes & singulas collationes, prouisiones, institutiones, & quasvis disposiciones parochialium Ecclesiarum ab eisdem Episcopis, & Archiepiscopis, ac quibusvis alijs collatoribus tam ordinarijs, quam delegatis, etiam Cardinalibus, & sedis Apostolicae Legatis, ac Nuncijs, praeter, & contra formam ab eodem Concilio Tridentino, praesertim in examine per concursum faciendam, praescriptam, factas, aut in futurum faciendas nullas, irritas, ac nullius momenti fore, & esse, nullumque prouisi in, aut titulum etiam coloratum possidendi praebere, & parochiales Ecclesias huiusmodi, vt prius ante collationes huiusmodi vacabant, ex nunc vacare statuimus, decernimus ac declaramus. Et in fine concludit: Quod si Episcopus minus dignum elegerit, possit dignior reiectus appellare ad Archiepiscopum, vel si eligens sit Archiepiscopus, vel alius exemptus, ad viciniorem Ordinarium, vel alias ad sedem Apostolicam, qui examinet praestitum coram suis examinatoribus, & si alter dignior inuentus fuerit, index appellationis reuocet acta, & conferat parochialem digniori, quatenus collatio spectabat ad Episcopum, a quo appellatum fuit: si vero collatio non spectabat ad illum Episcopum, sed examen, & approbatio remittatur illi, ad quem spectabat conferre, vel instituere, vt conferat magis idoneo per iudicem appellationis approbato. Et haec appellatio interposita interim non impediat, aut suspendat, quominus electio per ordinarium primo loco facta interim executioni mandetur: & prouisi causa appellationis pendente ab eadem Ecclesia, ne amoueatur: & si quis a sententia per iudicem appellationis lata voluerit appellare, ad sedem Apostolicam appellabit. Haec *ibi*. Quare ductus hoc decreto Concilij, & motu proprio Aragon 2. 2. *quest. 63. artic. 2. fol. 314. pag. 2.* dicit corrigi ius commune. Et sic quando patronatus est Ecclesiasticus non debere admitti ab Episcopo presentacionem minus digni, tanquam inualidam, propter dicta; & *quest. 62. artic. 2. fol. 207.* dicit, quod si Episcopus eligat in parochiam minus dignum, debet declarari irrita electio per Metropolitanum, iuxta motum proprium Pij Quinti.*

At dicendum est Concilium, & per consequens 6 motum proprium Pij Quinti, qui in eodem casu loquitur, non iusse in aliquo facultati patronorum derogare: & sic presentatio patroni facta de digno est valida, & per consequens admittenda est necessario ad Praelato. Probat, quia a iure antiquo recedendum non est, nisi iure nouo expressis verbis recedatur. *l. ult. C. de appellat.* at in hoc decreto Trident. non irritatur presentatio de digno facta, quae tamen iure communi valebat. Sed tantum praecipitur, vt eligat digniorem patronus, quod etiam iure antiquo tenebatur facere. Secundo, quia expressè Concilium, & motus proprius dum irritant electionem ad parochiale beneficium de minus digno factam, loquuntur in Ecclesijs parochialibus, & curatis liberis (vt bene Spino explicat *vbi infra*) quae a solo

Episcopo absque patroni presentatione conferuntur, precedente examine per concursum, quo casu debet dignior eligi, alius electio erit nulla, vt constat ex dicto decreto Tridentini *versic. peracto*, iuncto motu proprio Pij Quinti, in quo motu proprio nulla mentio fit de presentatione patroni: & quando Concilium in eo decreto loquitur de patroni presentatione *sibi versic. Quod si in patronatus*, tantum dicit, quod patronus clericus teneatur digniorem presentare. Quod si obicit, quod etiam laicus ad id tenetur, & tamen tantum dicit quod presentet idoneum: potest responderi, quod hoc est sub dubio, & ideo Concilium noluit definire. Vnde verba posita in fine illius decreti Tridentini quod scilicet *institutions preter dictam formam facte sunt surreptitiae*, referenda sunt ad edicta preponenda in examinatione per concursum facienda, vt constat ex finalibus verbis decreti *versic. Hac forma ommissa*, & verba motus proprio Pij Quinti, quae pro forma videntur requirere, vt dignior presentetur Episcopo, procedunt quoad ipsum Episcopum eligentem, non vero agitur ibi de patroni presentantibus: & sic circa presentandum illorum, cum sit casus ommissus, seruandum est ius commune. Sic tenent Nauar. lib. 3. *consil. tit. de iure patronatus, consil. 5. num. 2.* Spino *speculo testam. gloss. 4. principalis, num. 86.* vbi subdit, quod si plures fuerint a patrono presentati in numero equali, si Episcopus non eligat digniorem, collatio, seu institutio erit nulla, iuxta dictum motum proprium. Sed hoc est minus verum, quia ipse fateatur ibi quod loquitur in curatis liberis, quae ad nullum patroni presentandum prouidet Episcopus. Et Nauar. expressè tenet in nullo derogare patronis, at derogaret, si non valeret electio, & presentatio digni, quam iure communi diximus valere, licet aequalibus suffragiis presentetur alius dignior.

7 Ex solutione quaestionis positae inferitur solutio dubij initio propositi: & sic pro clariori resolutione statuum conclusiones. Sit

8 Prima conclusio, si dignus presentetur a patrono, etiam digniori omisso, non peccat Episcopus confirmans, immo confirmare tenetur, & si nollet, posset cogi a superiori. Probatur, quia confirmatio est actus exterior, & iudicis ab habente iurisdictionem ad confirmandum exercendus, sed talis electio est valida in foro externo; ergo. Sic tenent Soto dicta conclus. 8. D. Anton. 3. *part. tit. 22. cap. 2. §. 2.* Arm. *verbo electio, num. 4.* & ibi Caiet. & *verbo beneficium, §. penultim.* Couar. *reg. peccatum, 2. part. §. 7. num. 4.* Aragon 2. 2. *quest. 62. artic. 2. fol. 207.* Salon 2. 2. *quest. 63. art. 2. controu. 3. fol. 999.* Perez lib. 1. *ordinam. tit. 6. l. 2. fol. 255.* Cucus lib. 2. *inst. tit. 11.* Bernardus *cap. 3. de iure patron.* Panor. *cap. cum autem, eodem tit.* Immo, & Cardin. *Clement. plures, eodem tit.* Maioris 4. *diff. 24. q. 8. & 9.* Mercado lib. 6. *de contrah. cap. 17. fol. 209.* docti recentiores à me consulti. Nauarra lib. 2. *de restit. cap. 2. num. 155. §. 56. fol. 109.*

9 Immo nec Summus Pontifex peccat confirmando talem electionem, nec potest eam irritare in fauorem dignioris, cum iam sit ius quaesitum. Sic Soto, & Nauarra ibi.

10 Hinc inferunt Nauarra dicto num. 156. & Mercado *supra*, maiorem diligentiam teneri adhibere electorem, quam confirmatorem, quia eligens, vel presentans tenetur adhibere diligentiam, vt

electus, vel presentatus sit dignus: at confirmanti satis est, non constet esse indignum; sed hoc non est verum, quia Trident. *sess. 7. cap. 13. de reformat.* iubetur, vt electus, vel presentatus, vel nominatus à quibusvis etiam Nunciis sedis Apostolicae non conferatur ad quaecumque beneficia, nisi fuerit prius à locorum Ordinario examinatus, & idoneus repertus, appellacioneque non suffraganti, quominus examen subire teneatur, nisi presentatus, electus, vel nominatus sit ab vniuersitatibus, vel collegiis generalium studiorum; immo quoad beneficia curata videtur haec exceptio reuocari clarè *sess. 24. cap. 18. de reformat.*

Secunda conclusio. Si sint plures patroni, & maior pars eligat dignum, minor vero digniorem, tenetur Episcopus confirmare dignum, quia presentatus à minori parte censetur non presentatus, & sic nequit Episcopus illum instituire. Sic Couar. *dicto §. 7. num. 4.* Aragon 2. 2. *quest. 62. art. 2. fol. 207.* Bernardus *cap. 3. de iure patron.* Panor. *cap. cum autem, eodem tit.* Immo, & Cardin. *Clement. plures, eodem tit.* Spino *dicta glossa 4. principalis, §. 85. l. x. 10. tit. 15. part. 1.*

Tertia conclusio: si plures fuerint Episcopo presentati ab vno patrono, vel aequali patronorum suffragio, tenetur Episcopus in conscientia eligere digniorem. Ratio, quia tunc potest digniorem instituire, ergo tenetur ratione iustitiae distributivae. Sic lex 10. *part. citata.* Couar. Spino, Arm. Immo, Cardin. Panor. *proxime citati.* Caiet. *summa, verbo electio, Salon 2. 2. quest. 63. art. 2. controuers. 3. fol. 999.* & 1000. Aragon *ibi fol. 314.* & *quest. 62. art. 2. fol. 207.* Rochus *de iure patron. verb. honorificum, quest. 13.*

Quarta conclusio. Pluribus se opponentibus ad Ecclesiam parochialem iuris patronatus, & inuentis aequè dignis, non potest Episcopus, cui maluerit, eam dare, sed patronus debet presentare vtrum ex duobus maluerit, & sic presentatum tenetur Episcopus eligere. Probatur, quia presentatio pertinet ad patronum, & nullo iure ei negatur. Nam *cap. cum autem, de iure patronatus, quod ibi Panormit. & communis, & Lambert. de iure patron. lib. 2. 3. part. quest. 4. art. 11.* sic intelligunt: non facit, quia agit de perfectè iam presentatis Episcopo, & casus propositus agit de nondum presentatis, sed tantum examinatis & approbatis ad presentandum. Nec Trident. *sess. 24. cap. 18. de reformat.* est contra hoc, quia à iure antiquo non est recedendum, nisi iure nouo aperit recedatur. l. *praecipimus, C. de appellat.* at iure antiquo poterat patronus digniorem, vel aequè dignum presentare, & dicto *cap. 18.* Trident. non tollit ei hac potestas, immo confirmatur, quatenus ei reseruat potestatem presentandi. Sic latius probans Nauar. lib. 3. *consil. tit. de iure patron. consil. 5. §. 6.*

Quinta conclusio: indignum tenetur confirmator repellere. Patet ex Trid. *sess. 24. c. 18. de reform. & sess. 25. cap. 9. de reform.* & tenent Mercado lib. 6. *de contrah. c. 17.* Aragon 2. 2. *quest. 63. art. 2. fol. 314.* D. Ant. 3. *part. tit. 22. cap. 2. §. 2.*

Immo eligentes indignum, & presentantes scienter, priuati sunt pro ea vice potestate eligendi, & presentandi, *cap. cum in cunctis, de elect. §. finali,*

§. finali, & cap. innotuit, eodem tit. & cap. perpetuo, de elect. in 6. & electores tunc suspensi à beneficiis per triennium, vt patet ex eisdem capitibus: & insuper sunt inhabiles durante illo triennio ad obtinendum beneficia, *cap. per inquisitionem, de elect. possunt tamen eligere, vt patet ex cap. cum Vintoniensis, eodem tit.* quia, vt notat ibi Bald. suspensio à beneficio non includit, quod suspensus eligere nequeat.

16 Circa has tamen penas sunt aliqua notanda. Primum nota, quod sunt omnes pena latae sententiae, ita vt non requiratur sententia aliqua ad illas incurrendum, sed statim ipso iure priuati sunt potestate eligendi, & haec potestas transit ad superiorem, si erat electio ad beneficium inferius Episcopatu, vel ad Papam, si erat ad Episcopatum, vel eo superius beneficium, iuxta *cap. quamquam, de elect. in 6.* Probatur ex *cap. bone, & cap. dudum el. de elect.* nam ibi electio facta à paucioribus, qui non deliquerant, praualuit electioni maioris partis, quae deliquerat, nulla precedente super delicto, priuatione uel sententia priuatiua, vel declaratoria. Probatur etiam ex *cap. quamquam, de elect. in 6.* vbi sic dicitur; si electores, vel ipso iure priuati potestate eligendi, vt cum eligunt scienter indignum, vel per sententiam, vt cum non seruati formam traditam in generali Concilio, *gloss. ibi versic. generali, 1. cap. quia propter, de elect.* Ergo in priori casu nulla requiritur sententia. Et sic tenent Panormit. *cap. cum Vintoniensis, de elect. num. 6.* & *cap. innotuit, eodem tit. num. 19.* vbi gloss. contra Tancredum, quem ibi refert dicentem, quoad priuationem eligendi non esse latae sententiae, sed ferenda. Sed nostram sententiam tenent etiam Immo, & *cap. innotuit, n. 3. sub finem, & ibi Hostiensis, & quoad suspensionem, quod sit latae sententiae, colligitur ex Sylu. verbo suspensio, quest. 6. versic. 6.* Nauar. *cap. 27. num. 155.* in summa Latina; vbi inter casus suspensionis, in quibus incurritur, ponunt hunc: decuriones autem eligentes inhabilem non priuantur potestate eligendi. Ripa *de peste, in remedijs ad conseruandum vberitatem, num. 199.*

17 Secundò nota, quod ad incurrendum has penas oportet scienter eligere indignum, vt patet ex *cap. innotuit, de elect. & cap. quamquam, eodem tit. in 6.* & ibi glossa Panorm. *cap. cum in cunctis, §. finali, de elect. mon. 2.*

18 Tertio nota, quod non debet esse indignus electus quocumque modo, sed debet esse indignus, quia patitur defectum in natalibus, scientia, aetate, & moribus, quia de his tantum fit sermo dicto *cap. cum in cunctis, §. finali.* Sic tenent Nauar. & Sylu. *proxime citati, dicto cap. cum in cunctis, §. finali, num. 6.* Ioannes Andreas *reg. odia, in mercurialibus.* Immo quando hoc talem indignitatem electio est omnino nulla. Sic colligitur ex *cap. dudum el. 1. de elect. quia ibi dicitur, si pateretur in scientia, vel in aetate defectum, qui eum iuxta canonum sanctiones impediret ad huiusmodi officium promoueri.* Vbi glossa *versic. ordibus, dicit, quod talis electio nulla est.* Item quia *cap. quamquam, de elect. in 6.* quasi irrita sit electio dicitur, quod deuluitur eo ipso potestas eligendi ad superiorem. Et sic Panorm. *dicto §. finali, num. 6.* & Immo, & Cardin. *dicto cap. innotuit, num. 3.* dicit nullam electionem pati: is tales defectus.

19 Quarto nota, opus esse, vt sit consummatum

delictum, quia si quis nominatim indignum, & recessit ab ea nominatione, antequam praeueneretur ad electionem, non incurrit. *cap. perpetuo, de elect. in 6.* Panorm. *dicto §. finali, num. 3. & 2.*

Quintò nota, quod pena suspensionis à beneficiis intelligitur à beneficiis, quae quis habet in ea Ecclesia: ad quam facta electio: vnde ad alia beneficia non extenditur: vnde si in illa Ecclesia non habet beneficia, punietur pena extraordinaria. Patet ex *cap. si compromissarius, de elect. in 6.* & ibi gloss. *versic. in illius.* Francus ibi in fine Ioan. Monachus, Ioan. Andr. Panorm. *dicto cap. cum in cunctis, §. finali, num. 1.* licet Archid. *dicto cap. si compromissarius, dicit, quod quando non habet beneficium in illa Ecclesia, suspenditur ab alijs, quae in alia habet.* Similiter etiam sicut suspensio, quoad beneficia habita restringitur ad beneficia illius Ecclesiae; ita & inhabilitas ad habenda, intelligitur etiam ad habenda in ea Ecclesia: vnde in alia Ecclesia poterit sic eligentes promoueri, durante etiam illo triennio suspensionis, quia in abilitas ad obtinenda venit accessorie ad suspensionem ab habitis, vt colligitur ex *cap. per inquisitionem, de elect. versic. cum igitur.* Ergo debet regulari secundum naturam illius suspensionis. Sic Panorm. *dicto cap. per inquisitionem, num. 8.* gloss. *cap. cupientes, §. ceteram, versic. beneficij, de elect. in 6.*

Sextò nota, quod triennium hoc suspensionis à beneficiis incipit statim post delictum, id est, talem electionem, vt tenent omnes statim citandi: si verò durante hoc triennio iterum delinquat, dubium est an secundum triennium incipiat finito primo, quod dubium generale est: an scilicet quoties quis est suspensus, vel alia pena affectus ad certum tempus, an si durante eo tempore incurrat aliam suspensionem, vel penam ad certum tempus, hoc secundum tempus incipiat finito primo. Barr. in simili l. *in senatu, §. finali, ff. ad Turpil. dilinguit, quod si imponatur pena, vt species, id est, cum determinatione temporis à quo procedit, vt sit suspensus per triennium à die delicti, tunc triennium secundum incipit à die commissi delicti, & confunditur cum priori tempore. Quando verò pena apponitur generaliter, & indeterminatè, vt dicendo, sit suspensus per triennium, tunc incipit secundum triennium finito primo: quare cum *cap. cum in cunctis, §. finali, de elect. absolute dicitur, quod sit suspensus per triennium, secundum triennium incipit finito primo.* Sic Sylu. *verbo suspensio, quest. 6. dicto 6.* Panor. *dicto cap. cum in cunctis, §. finali, num. 21.* Sed verius est, vt quoque casu incipiat statim à commissio delicto triennium, & sic confunditur cum primo triennio. Ratio, quia licet non addiciatur, tacite intelligitur, cum debeat intelligi de primo triennio. l. *cum qui Alendius, ff. de verb. oblig. & quia in penis est mitior interpretatio adhibenda. c. in panis, de reg. iur. in 6.* Et si dicas, quid operabitur secunda suspensio durante tempore primae. Dic quod satis operabitur, quia multiplicabit vinculum, ad eod quod si tolleretur prima suspensio, non intelligeretur sublata secunda, nisi hoc exprimat, vt quando multiplicatur eorum communicationes. Sic Immo, & Cardin. *dicto cap. cum in cunctis, §. finali, sic, & ibi Ioan. Andr. & Florianus.**

Septimò nota quod eligentes, seu presentantes indignum, non sunt absolute priuati potestate eligendi, sed tantum pro illa vice, quia dicto *cap. cum in cunctis, §. finali, dicitur esse eligenti tunc potestate*

potestate priuatos: & tenet ibi gloss. *versic. tunc. & ibi Panorm. num. 1.* vnde non sunt priuati potestate eligendi per totam illam vacationem, sed in prima electione, qua occurrit faciendā tantum, siue ea habeat effectum, siue non; satis enim est, quod illi fuerunt priuati eligendi potestate in prima electione: & idem est dicendum in casu priuationis propter negligentiam, quando scilicet patronus non presentatur tempore sibi a lege præstituto, scilicet si sit Ecclesiasticus, intra sex menses, & si sit secularis intra quatuor, quo casu priuatur presentandi potestate, in prima scilicet electione, que collatione, que occurrit faciendā, siue ea habeat effectum, siue non, quia si in priuatione propter delictum hoc contingit, à fortiori idē dicendum est in priuatione propter negligentiam, quia dolus præponderat culpæ, seu negligentia. *c. super litteris, de rescriptis.* sic contra Vincentium dicentem intelligi per totam vacationem, tenet Panorm. *c. cum Vintoniensis, de elect. in 6.* dicens esse communem, & glossa *c. si electio, de elect. in 6. versic. integram.* Notat tamen Panorm. *ibi n. 13.* & bene, quod si illa electio non habuit integritatem suam, quia solum electores peruenierunt ad tractatum electionis, & non facta electione recesserunt, non dicitur purgatum vitium patroni presentantis priuati pro ea vice, quia ius priuati prima vice potestate eligendi, verba autem debent intelligi cum effectu, vt *cap. relatum, de cler. non resid. l. 3. ff. quod cuiusque.* ergo requiritur quod peruentum fuerit ad electionem cum integritate sua, licet ex aliquo accidenti non habuerit effectum. Idem Anton. *ibi contra Tancredum ibi.*

23 Octauo nota, esse graue dubium, an hæc pœna priuationis potestate eligendi, eo quod eligi indignum, habeat locum in patrono laico, vel tantum in Ecclesiastico, quidam enim affirmant habere etiam locum in laico, quia hoc inuenitur expressè decisū *§. si quis oratorij, Auth. de sanct. Episc. collat. 9.* cui legi ciuili standum est, cum oppositum non inuenitur in iure canonico, argum. *cap. 1. & 2. de noui operis nunciat.* Alias rationes afferunt Panorm. & Padilla *ibi infra.* sic tenent Host. *cap. cum vos, de offic. ordin. & ibi Panorm. referens Lignauo & Dominos de Rota. Idem Panorm. cap. 2. §. final. de suppl. neglig. Paulus de Citadinis, Aret. Ripa, quos refert, & sequitur Padilla l. cum quidam. ff. de legat. 2. n. 17.* Rochus de Curte dicens esse communem, *de iure patron. verbo honorificum. quest. 4. versic. limita tamen, n. 15.* Probus *cap. si tibi absentis, de prob. in 6. n. 53.*

24 Ceterum oppositum est probabilius, scilicet tantum habere locum in patrono Ecclesiastico: vnde patronus secularis scienter presentans indignum, poterit iterum presentare. Ratio, quod diuersitas est, quia laici sunt minus expertes rerum Ecclesiasticarum, & habent minus tempus ad eligendum, & possunt variare, at patronus Ecclesiasticus nequit variare, & habet longius tempus. Item quia in iure canonico, cui in hac re standum est, & non legi, quæ circa Ecclesiastica nihil potest disponere, non inuenitur talis pœna nisi contra patronum Ecclesiasticum, vt patet ex *cap. cum in cunctis §. finali, de elect. maxime quia §. si quis oratorij,* quod oppositi allegant pro se, tantum dicit quod indigno presentato Episcopus procurat, quod infituitur idoneus, quod potest intelligi sollicitando patronū. Et sic respondet Ioan. Andr. *infra.* Item quia *l. 5. tit. 1. §. part. 1.* expressè probat

hanc sententiam. Sic tenent glossa *cap. cum vos, de offic. ordin. versic. minus, & c. pastoralis, de iure patron. versic. robur.* Ioan. Andr. *dicto cap. cum vos, & ibi Anchar. num. 4.* Immo *num. 7.* Cardin. *ibi.* Archid. *c. 1. de prob. in 6. num. 2.* Oldradus *conf. l. 3. n. 6.* Immo *l. seruus in principio. ff. de legat. 1.* Berouus *cap. quod autem, de iure patron. dicens esse communem num. 10.* Caltaldus *tract. de Imperatore, g. 15. n. 3.* Lambert. *de iure patron. lib. 1. p. 2. quest. 10. art. 2. num. 15.* Perez *l. 2. tit. 6. lib. 1. ordinam. Spino speculo testam. glossa 4. principali, num. 87.* Francus *cap. selectio in 6. num. 4.* Angel. *verbo in patronatus, num. 18.* Sylu. *ibi g. 7. Tab. quest. 16. Arm. num. 9.* & in hanc licet dubius, magis inclinat Gregor. Lopez *l. 5. tit. 1. versic. oro.* & hoc est commune. Et in pœna suspensionis hoc tenet Nauar. *cap. 27. num. 155.*

Nono nota, quod pœna suspensionis triennij à beneficiis, tantum habet locum in eligentibus indignum ad Episcopatum, vel dignitatem Episcopatu superiorem, vt patet ex *cap. si compromissarius, de electione in 6.* & etiam gloss. *c. quanquam, de elect. in 6. versic. fecus.* Panorm. *cap. cum in cunctis §. finali, de elect. n. 4.* vbi Immo *num. 7.* idem Panorm. *cap. per inquisitionem eodem tit. num. 8.* Nauar. *cap. 27. num. 155.* immo Panorm. vtrobique idē sentit de aliis penis, scilicet priuatione potestatis eligendi; sed dicit, quod eligentes ad beneficia inferiora indignum, puniuntur pœna arbitraria, & videtur tenere *ibi dem Immo,* dicit enim, quod tantum incurritur, quando eligunt Episcopum, saltem, quoad suspensionem. At gloss. *dicto versic. fecus,* dicit hanc pœnam etiam habere locum in aliis electionibus ad beneficia inferiora, quod expressè ex eo *cap. quanquam, colligitur, & ex cap. dudum l. 1. de elect.*

Decimo nota, non incurtere illam suspensionem Cardinales eligentes indignum in Papam. Nauar. *dicto num. 155.*

Tandem nota, quod Episcopus confirmans indignum talem, est priuatus ea vice facultate conferendi, *dicto cap. cum in cunctis §. finali.* vbi Panorm. *num. 6.* dicit esse iure iuro, videturque tenere Sylu. *verbo suspensio, quest. 6. versic. 6.*

D V B I V M VII.

An renuncians, permittans, vel regressans beneficium in minus dignum, omisso digniori, & Prælatu acceptans, peccet.

Certum est, & tenent omnes Doctores citandi peccare mortaliter, quando in indignum, quia reuera est causa iniusta collationis, & damni illati Ecclesie, & præter Doctores citandos tenet etiam Soto *3. de infl. g. 6. art. 2. fin. versic. alteri dubii.*

Nota tamen quod licet peccent conferentes indigno beneficium, siue conferens sit elector, siue patronus, siue resignator, hoc tamen distat inter hos, quod elector, siue patronus peccat etiam contra iustitiam communitariā, tenebatur enim ex officio consulere utilitati Ecclesie: & contra distributiuam, quia cum sit persona publica, & vt talis distribuens bona communia, debet ea conferre dignis: at resignator peccat contra communitatiuam, quia eo ipso quod fuit beneficium, tenebatur consulere utilitati Ecclesie, & illi nõ nocere, quod facit sumpto indigno, at non peccat contra distributiuā, quia non est persona publica, ad quam pertinet distribuere pro meritis. Sic Salon *2. 2. q. 63.*

art. 2.

art. 2. *controuersia 3. fol. 1017.* & docti recentiores à me consulti.

3 Dubium autem est de renuntiante in minus dignum, omisso digniori, aliqui enim censent teneri sub mortali eligere digniorem, sicut ipsam conferentem, quia verè est causa illius collationis. Sic tenet Nauar. *miscellaneo 43.* Palacios *in summa, verbo beneficium, cap. 4.* Nauarra *lib. 2. de rescript. cap. 2. num. 173.* in ius fol. 106. limitat Nauar. *eo miscellaneo 43.* nisi renunciet in æquè dignum, ac ipse possidens erat, etiam omisso digniori; quia sicut poterat ipsum retinere, sic in æquè dignum, ac ipsum renuntiare. Immo Palacios addit etiam peccare mortaliter Episcopum admittentem renuntiationem in minus digni fauorem.

4 Prima tamen conclusio fit, non peccat renuncians beneficium in fauorem minus digni. Probat, quia hic renunciator non est distributor boni communis, quia beneficium non est tunc bonum commune, sed appropriatum illi, & sic non tenetur seruare leges iustitiæ distributiue. Secundò, quia iura tantum loquuntur de presentante, & conferente per viam vacationis; & sic seruatur in praxi, non enim dignioris inquisitione, & concursu conferuntur beneficia renunciata etiam curata, nec aliqui experientia teste conuerit, quod hæc beneficia renunciata dentur minus dignis. Sic tenet Salon *suprà,* dicens esse communem inter Thomistas, & Nauarra *suprà,* postquam dixit teneri in digniorem, subdit, licet possit dici fac esse digno renuntiare: & sic dicit praxi seruari etiam in curatis. Idem tenet Mercado *lib. 6. de contract. cap. 17. fol. 216. 217.* & docti recentiores, quos ego consuli.

5 Hinc à fortiori fit, non peccare Episcopum conferentem illi digno, in cuius fauorem renuntiatum est. Ratio, quia collatori fat est, quod electio fit valida, qualis est ista. Sic Salon *ibi.* Caiet. *verbo beneficium, cap. ultimo,* & quidam doctus recentior à me consulti.

6 Secunda conclusio, idem omnino dicendum est in permutante. Patet ex eisdem rationibus, sic doctus quidam iunior, quem ego consuli.

7 Tertia conclusio: idem dicendum est de faciente regressum. Ratio, quia facere regressum est idem, quod renuntiare, præterquam quod regressans renunciat post suum obitum: renuncians verò renunciat statim. Sic Mercado *ibi,* & quidam docti recentiores, inter quos D. Henriquez *in suis manuscriptis.*

8 Nota tamen hoc distat inter regressantem, & renunciantem, quod regressans longam expectans vitam, potest facere regressum in puerum prætensem de seipem futurum esse, qualem oportet, at renuncians, cum statim conferat, tenetur in eum, qui actu est dignus. Sic Mercado *ibi.*

D V B I V M VIII.

An vsque addo procedat hæc obligatio eligendi digniorem, vt teneatur elector conferre digniori qui exterius est, vel fas sit præferre dignum naturalem regni digniori extraneo: & sic licita sint statuta, vt beneficia alicuius regni non conferantur, nisi regnicolis.

Aliqui Doctores damnant huiusmodi statuta, & docent iis non obstantibus eligendum

esse digniorem vndecumque sit. Probat ex *cap. ad decorem, de infl. vbi Innoc.* Tertius reprehendit Patriarcham Constantinopoli, eo quod tantum ex Venetis eligeret ministris Ecclesie sue. Afferit duas rationes; prima est, quia *Act. 10.* habetur, *in omni gente faciente iustitiam acceptus est iustus Deo.* Secunda est, quia videtur esse successio hæreditaria eligere tantum ex hac natione ad beneficia, quam abhorrent maximè beneficia Ecclesie. Secundò probatur ex D. Gregor. & habetur *cap. nos, qui dist. 40.* vbi sic dicit: *Nos qui presumimus, non debemus imitescere loco, aut dignitate generis, aut vrbium claritate.* Sic tenet Maioris *4. dist. 24. quest. 9.* Ad idem sunt aliqui dicentes, talia statuta non impedire, quin si extra illam Ecclesiam inueniatur dignior, non possit eligi. Hi sunt D. Anton. *2. part. tit. 1. cap. 29. §. 1.* Gabr. *4. dist. 15. quest. 7. art. 3. dub. 1.* Abulen. *cap. 2. 2. Martib. quest. 119.* vbi addit non teneri eligere digniorem illum extra illam Ecclesiam.

Sic tamen conclusio, iustissima, & sanctissima sunt talia statuta, & omnino seruanda, ita vt nullo modo possit eligi dignior alienigena, sed eligendus sit dignior inter naturales. Et sic in Hispania cauetur *l. 14. 18. 25. lib. 1. tit. 3. noua recopil. ne ad beneficia huius regni qualicumque sint etiam præstimoniam, nec etiam ad pensiones constitutas super huius regni beneficiis admittantur alienigenæ, qui scilicet non sunt huius regni naturales; & asseritur ibi esse immemoriam consuetudinem in Hispania de hoc, & esse priuilegium Papæ Sixti concessum Regibus Hispanie, vt sine illorum licentia non admittantur exteri ad Hispanie beneficia. Et quod sint iusta hæc statuta, probatur primò, quia hoc statutum est valde conforme iuri diuino, & valde ad bonum Hispanie regimen expediens. Patet Deuter. 18. *Prophetam de gente tua, & c. & 17. Non poteris alterius gentis hominem facere regem.* Item est valde conforme iuri Canonico & ciuili in Trid. *sess. 25. c. 5. de reform. iubetur, vt seruentur qualitates, & conditiones, quæ secundum aliquas constitutiones exiguntur in beneficiis, & cap. bona el. 2. de postul. versic. Quia verò, sic dicitur: Non poteramus salua conscientia eidem Ecclesie de persona alterius regni providere.* Idem *cap. ne pro defectu, de elect. cap. nec memoriæ, & cap. nullus 61. dist. cap. finali, de cler. peregr. cap. Aphros. 98. dist. cap. neminem 70. dist. & l. in Ecclesiis, ibi in vico natus. c. de Episc. & Cler. & l. vna. C. non licere habitari, lib. 1. Immo addè intendit Papa vnicuique in sua patria providere, vt prouiso facta extero, non facta mentione originis, sit irrita, & surreptitia, propter capita allegata, vt optime docent Rebutius *praxi benef. tit. de rescript. mixta, regula 20. gloss. de pacificis possess. num. 217.* & glossa *cap. si proponente, de rescript. versic. de hoc.* Panorm. *ibi num. 3.* Perez *lib. 1. ordin. tit. 3. l. 18. versic. Que nungun.* Greg. Lopez *l. 13. tit. 15. part. 1. versic. de aquel.* Felinus *cap. sicut mis. de simon. Consetus singul. incipienti, surreptio. Selua de benef. 3. part. q. 26.* Roma. *l. si verò §. de viro, fullenmia 14. ff. solut. matrim.* Barbat. *conf. 23. volumine 1. Salzedo practica cap. 54. nouè addito num. 3.* Spino *speculo testam. gloss. 3. n. 34.* Auendaño *cap. Prætorum, num. 32. versic. Item ex eadem, lib. 1.* Item hoc est conforme rationi, & bono republicæ regimini. Et ita ferè apud omnes orbis nationes est tale statutum, vt referunt Doctores citandi, quia extranei secreta regni pandunt.**

L 4 commu

communiter non residebant: extrahent pecunias regni: corruptis aliena provincia moribus, vel parum apertis Hispanos inficent: minus affecti erunt subditi, ut parochiani erga illos, & non ita admittent eorum doctrinam. Item, quia cum in Hispania, tot sint digni, non est iustum panem filiorum eripere, & dare alienigenis. Item quia ex redditibus Hispanorum sunt fundata beneficia Hispania, fraudarentur autem fundatores ultimi voluntate, si bona illa a naturalibus ad extraneos transferrentur: maxime quia, ut dicemus infra, ij preferendi sunt, ex quorum bonis sunt fundata beneficia: & sic tale statutum ac optimum approbant ultra Doctores citatos, qui dicunt provisionem aliter factam esse surreptitiam. Innoc. cap. quia diversitatem, de concess. prebend. Panormit. cap. ad decorem, de instit. Decius conf. 541. num. 14. & 695. num. 23. Parisius conf. 38. num. 13. & 14. lib. 4. Perez lib. 1. ordin. tit. 3. l. 18. Couart. quest. pract. cap. 35. num. 5. Spino speculo testament. glossa 5. a. num. 32. Azebedo lib. 1. noua recopil. tit. 3. l. 14. per totum. Nauar. miscellaneo 43. num. 76. Mandosius latissimè, & optime regul. 16. Cancell. q. 39. Duchas regula 202. sine. Salon 2. 2. quest. 63. art. 2. controu. 3. fol. 1019. Soto lib. 3. de inst. quest. 6. art. 2. proxime ante decimam conclus. dicens in Trid. fuisse consultum eo praesente, summo omnium consensu, ut omnia beneficia fierent patrimonialia. Ludou. Gomez regula 20. Cancellaria. quest. 1. l. e. defm. 2. 4. quest. 18. art. 2. dub. 9. fol. 256. pag. 2. gloss. cap. hortatur 71. dist. Rochus de iure patron. verbo, honorificum quest. 18. & multi alij, quos Doctores citati referunt.

3 Nota primò adeò hoc verum esse, ut etiam si Cardinales sint, non possunt obtinere beneficium in Hispania, si naturales non sint. Azebedo dicta l. 14. num. 55. & sic feruati in Gallia, docet Rebuff. praxi benef. regula 20. Cancellaria.

4 Secundò nota, etiam beneficium non posse dari in commendam non naturalibus. Sic Rebuff. ea regula 20. & ibi Gomezius quest. 5. Azebedo dicta l. 14. num. 52, 53. & ratio est, quia commenda, licet temporalis sit, verus est canonicus beneficij titulus, ut optime dicit Nauar. cap. quando Latin. cap. 20. num. 16. vbi addit, quòd si apud aliquem inueniatur, non esse titulum, intelliget per titulum id, quòd multa iura intelligunt, scilicet ius, per quòd id beneficium sit habitus illud, quale non est commenda, praesertim cum non est perpetua, & quòd sit titulus canonicus, docet etiam late Rebuff. de pacifica possess. num. 36. vbi multos Doctores, & textus refert, & multa, quae dicuntur de beneficiis, dicit intelligenda etiam de habitibus ea in commendam, ut si est curatum, quia tenetur promoueri intra annum: quòd potest permutare commendam illam cum habente proprietatem alicuius beneficij, & plura alia. Et quòd sit titulus, tenet etiam Gomezius regula de triennali possess. quest. 5. & regula de imperantibus beneficiis vacantiis quest. 6. Azebedo dicta l. 14. n. 53. gloss. cap. nemo de elect. in 6. vers. commendare, & sic dicit ibi non vacare, dum est commendata; & si impetret aliud beneficium, teneri facere mentionem de commenda; & vocandum esse patronum, & alios, qui laudantur, ad talem commendam.

5 Tertio nota, quòd neque cognicola ipsi per ius habitum ab extraneo possunt habere beneficium, vel pensionem in Hispania, v. g. per renun-

tiationem exteri. Sic habetur l. 25. tit. 3. lib. 1. recep. Azebedo dicta l. 14. num. 54. & l. 18. eodem tit.

Quartò nota, quòd licet is, qui literas naturalitatis impetrauit a Rege, fruatur huius regni priuilegijs, & immunitatibus: ut multis citatis Doctoribus tenet Salzedo pract. canon. cap. 54. nouè addita num. 14. vbi etiam dicit cum Menchaca per eum citato, de testam. lib. 3. 1. part. §. 3. num. 295. quòd talis potest admitti ad collegia habentia statutum, ut exterus ad ea non admittatur: at ex simplici concessione literarum naturalitatis non potest beneficium consequi in Hispania, nisi hoc sibi expressè concedatur, quia generalissima ea concessio ad hunc causum specialissimum extendi non debet. Quòd potest etiam probari ex iis, quae tradit Baldus l. in verbo, ff. de statu hominum, vbi ait, ad optium ciuem, qui scilicet ex priuilegio receptus est, admittendum non esse ad honores, ad quos tantum naturales admitti consueverunt. Sic tenent Salzedo eo num. 14. Azebedo dicta l. 14. num. 56. Gregor. Lopez l. 2. vers. mager. tit. 24. part. 4. Perez l. 10. tit. 3. citato.

Quintò nota quòd si exterus ex Principis dispensatione obtinet beneficium, non potest illud cum alio permutare. Ratio, quia dispensatio est stricti iuris, & sic non vltimus, quam ad beneficium habitum ex priori collatione debet extendi. Item quia per permutationem vacat prius beneficium cap. unico, de verum permutat. in 6. ergo necessaria est noua collatio sequentis beneficij, ad quam exterus non est dispensatus. Et confirmatur ex iis, quae tradit Arch. cap. 1. de filijs presbyt. in 6. sine. & ibi Francus num. 12. & Dominicus ibi, vbi dicitur illegitimum dispensatum ad obtinendum beneficium non posse illud deserendo, aliud acquirere, quia iam in obtentione primi beneficij dispensatio est consequuta suum effectum. Sic tenent Salzedo dicta cap. 54. num. 16. dicens esse verissimum, & Perez lib. 1. ordin. tit. 6. l. 3.

Hinc ex dictis defenditur iustitia legum 21. 8. 22. 23. lib. 1. tit. 3. noua recopil. quibus cauetur, ut seruetur consueto Principis Palentini, & Caleguriensis, id est, Calahorra, ut beneficia sint patrimonialia illius diocesis, id est, originarijs tantum dentur illius diocesis, & quòd dentur mandata regij senatus super hac consuetudine obseruanda. Et quòd tale statutum iustum sit, patet ex omnibus adductis, & quia est valde conforme iuri canonico, cap. nullus 61. dist. quòd est Caletini Papa, sic habetur: Non eligatur in Episcopum de altera Ecclesia, nisi dignus non inueniatur in eadem ciuitate, cui est praesidendum. Idem omnino cap. obitum, eadem dist. quòd est D. Gregor. Papa, & cap. Metropolitana, quòd est D. Leonis Papa, 63. dist. sic dicitur. Ex presbyteris eiusdem Ecclesie optimus in Episcopum eligatur. & c. sacrorum, dist. 63. dicitur, de eadem diocesi Episcopum eligatur. & sic hoc statutum approbat D. Thomas 2. 2. quest. 63. art. 2. ad 4. Conar. dicens, quòd vniuersam obique locorum seruet, quia Ecclesia, ac sacerdotij, ac diuini cultui sanctius, ac diligentius exhiberetur ministerium, quest. pract. c. 36. mon. 3. vers. alim. Soto, & Salon supra citati. Azebedo lib. 1. recep. tit. 3. l. 21. Auendaño lib. 1. c. praetorum, cap. 1. num. 32. vers. Item ex eadem. Guillelmus cap. Raynitijs, de testam. verbo absque literis, num. 52. & confirmatur ex Trident. sess. 25. c. 5. de reform. vbi praecipitur, ut obseruentur omnes qualitates requisitae ad beneficia ex qua-

cumque

cumque erectione, seu fundacione, seu alijs constitutionibus, alias prouisio illorum sit nulla. Et sic dicit ibi Auendaño, quòd impetratio erit surreptitia, nisi facta mentione, & derogatione talis constitutionis.

9 Nota tamen circa haec decreta in hoc notabili adducta, quibus praecipitur, ut originarius illius Ecclesiae tantum eligatur in Episcopum, iam esse per contrarium vsum abolita, & sic passim videmus fieri: sic Host. Ioan. Andr. c. significasti, de iure patron. Lambertinus de iure patron. lib. 2. 1. part. quest. 7. principali, art. 24. num. 35. Nauarra lib. 2. de ressit. cap. 2. n. 168. l. 69. fol. 104. Duchas regula 202. limitatione 3.

10 Hinc secundò deducitur, quid dicendum sit de statuto, quòd est in aliquibus Ecclesijs, ut qui prius promouetur ad sacerdotium, accipiat prius beneficium, ex beneficijsque antiquior sit curatus, quale est in Collegio Ecclesiastico Granatensi, quòd habet annexa aliquot beneficia simplicia, quae cum vacant, dantur antiquiori, dicendum enim est, quòd in beneficijs curatis est intolerabile statutum, cum ad illa tantum expedit eligere digniores: at in beneficijs simplicibus est tolerabile statutum, modò ille dignus sit, cum in his non tanti momenti sit digniorem eligere: & ex alia parte incitantur homines ad collegium illud, vbi ordinis. Patet hoc etiam ex Doctoribus quos infra referemus, qui etiam non admittunt posse fundantem ex suis bonis, Ecclesiam statuere, ut ex certo genere personatum eligantur parochi, sed bene de simplicibus beneficijs, nedum in hoc casu. Et sic tenet quidam doctissimus recentior in suis manuscriptis, qui asserit Complutenfes consultos sic respondisse.

11 Tandem ad argumenta respondetur, ad cap. ad decorem, de instit. dico cum glossa ibi vers. vnde cumque, & communi, ideo reprehendisse illum, quia nec Veneti erant naturales, sed extranei, & eo ipso quòd exteros eligebat, debebat ex omninatione eligere, cum non esset maior ratio vnius, quam alterius nationis. Ad primam rationem dico, quòd non est acceptio personarum, nec etiam successio haereditaria, quia non eligatur naturalis, ut naturalis est, sed quia cum sit naturalis, est multo vtilior Ecclesiae, ex qua tota dignitas ministri attendenda est. Et per hoc patet ad caetera.

D V B I V M IX.

Quis dicatur naturalis regni Hispaniae, ut in eo possit beneficia, vel pensiones obtinere.

1 Oportet praemittere verba legis Hispaniae, hoc disponentis, nempe lib. 1. noua recopil. tit. 3. l. 19. his verbis: *Aquel se diga natural, que fuere nacido en estos Reynos y boy de padres, que ambos a dos, o alomenos el padre nacido, y natural en estos Reynos, o aya contraido domicilio en ellos, y demas desto aya vniado por tiempo de diez años, con que si los padres siendo ambos, o alomenos el padre nacido, y natural en estos Reynos, estando fuera dellos en seruicio nuestro, o por nuestro mandado, o de paso, sin contraer domicilio fuera de estos Reynos, vniueren algun hijo fuera dellos, este val sea auido por natural de estos Reynos, y esto se entienda en los hijos legitimis, y naturales, o en los naturales solamente: pero en los espurios dispone-*

mos que las qualidades, que conforme alo suso dicho se requieren en los padres, ayan de concurrir, y concurrir en las madres. haec ibi.

Ex hac lege colligitur duas conditiones exigi, ut quis dicatur naturalis huius regni, ut possit in eo obtinere beneficium, altera requiritur ex parte obtenturi beneficium, altera verò ex parte eius parentum; quae claritatis gratia seorsum ponentur.

Prima conditio, quam exigit lex ista ex parte obtenturi beneficium, est quòd in his regnis natus sit: atque in hac conditione declarat, quòd si foris nascatur, dum eius parentes obiter, & casu alicuius negotij causa extra haec regna versantur, in his eisdem regnis ortus censetur (de quo nonnulla dixi lib. 3. de matrimonio disp. 23. num. 3.) Duplex autem conditio debet concurrere: prima est, quòd parentes casu ibi adessent, quin domicilium contraherent. Secunda quòd sit filius legitimus, aut naturalis, eius pater sit ortus, & naturalis in his regnis: si verò sit spurius, ipsius mater orta sit, & naturalis in illis.

Secunda conditio in dicta lege petita ex parte parentum aspirantis ad beneficium, est quòd si fuerit filius legitimus, aut naturalis, pater eius natus sit, & naturalis in his regnis, vel in illis domicilium contraxerit, simulque per decennium habitauerit; si verò sit spurius, hoc matri competat.

Circa primam conditionem nota primò, & similiter circa secundam, quòd dum requiritur in eis lex natiuitatem, vel naturalitatem in his regnis, per haec regna non intelligit omnia subiecta Regi Hispaniae, sed regnum Castellae, & Legionis, id est, de Leon. Quare nati in regno Aragonis, & Nauarrae exteri sunt. Ratio, quia licet dicta regna fuerunt regiae coronae adiuncta, tamen hoc in modum submissionis factum est, sed pristino in robore remanserunt suis proprijs legibus, & moribus regendi. Sic Perez l. 18. tit. 3. lib. 1. ordin. §. 1. alleuerans, sic nostris temporibus fuisse sententia iudicium declaratum. Burgos l. 1. Tau. num. 451. Salzedo pract. can. cap. 54. noua addita num. 24. vbi aduertit cum Burgos ibidem, & Olano in concordie iuris proomio, num. 20. quòd iam peculiari concessione indultum est originarijs regni Nauarrae, ut censentur naturales, quoad beneficia; & sic multo illius regni obtinent iam beneficia.

Secundò nota circa primam conditionem non fat esse in praerendite beneficium, quòd in his regnis contraxerit domicilium, & habitationem decennalem, quia expressè petit lex, ut in eis natus sit. Sic Azebedo lib. 1. noua recopil. tit. 3. l. 19. n. 1. item quia naturalis distinguitur contra habitentem domicilium, lege 32. tit. 2. part. 3. & ita Gregor. Lopez ibi, verbo, natural. explicans, quis dicatur naturalis, ait ratione originis propriae, vel patris, vel matris.

Tertio nota circa eandem conditionem, quòd Rebuff. de pacif. possess. num. 267. in nouis, dicit quòd si infidelis baptizetur in regno, dicitur naturalis illius, cum per Baptismum renatus videatur. Sed hoc parum refert ad nostram legem considerantem naturalem natiuitatem, & quòd pater sit naturalis, & c. sic Azebedo ibi num. 11.

Quartò nota circa eandem conditionem, quòd si naturalis huius regni in extraneum non subditum Regi transferat regnum, ibique domicilium constituat,